IUS ET OFFICIUM EPISCOPORUM

IN FERENDO SUFFRAGIO

PRO

INFALLIBILITATE ROMANI PONTIFICIS

CONTRA NUPERAS CAVILLATIONES

PER DISQUISITIONEM MORALEM

ASSERTUM ET VINDICATUM

A P. ANTONIO BALLERINI SOC. IESU

THEOLOGIAE MORALIS
IN COLLEGIO ROMANO PROFESSORE



ROMAE
TYPIS CIVILITATIS CATHOLICAE
1870.

PRAEFATIO

Incidit in manus fasciculus, quem cum viderem hoc titulo insignitum: *Disquisitio moralis de officio Episcoporum in emittendis suffragiis circa personalis et independentis infallibilitatis Romani Pontificis definitionem,* coniectatio primum subiit, illum forte nunc vulgatum, ne corda simplicium inanibus perturbarentur terriculamentis, quae in diariis quidam (an cristiani, an haeretici, an increduli? nam latet manus) quotidie ingeminant: fingi autem *solis RR. Episcopis* inscriptum cuiusdam reverentiae gratia; et quidem pro eiusmodi scopo non indignum Episcopi alicuius manu opus videri poterat.

At toto caelo me in coniectando aberrasse illico inter legendum fasciculum adverti, ac manifeste eluxit, cuiuslibet, praeterquam Episcopi, calamo attribui scriptiunculam istam posse (tanta videlicet inscitia, insipientia, atque etiam insolentia undique scatebat); nec a verisimili abesse, facinus hoc aut ab homine prodiisse, quem praedicta terriculamenta totum corripuerint, et occupaverint, aut certe ab homine (clerico ne, an laico?) qui servilem operam suam iis locaverit, qui per hosce dies iniiciendis eiusmodi terriculamentis ad decreta sibi ac studiis suis incommoda, si fieri possit, avertenda, toti sunt intenti.

Et risu sane dignum, quod homo, prout se satis prodit, teologicarum disciplinarum plane rudis, ac mundi et carnis sapientiam unice spirans, munus sibi audacter et insolenter assumat de suis illos officiis docendi, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*; et quidem tunc omnino temporis eos serio a se monendos censeat, cum in Spiritu Sancto congregati, et medium inter se Deum ac Dominum Iesum Christum habentes, rectam

tum credendi tum agendi normam universae Ecclesiae infallibili iudicio praescribunt.

Quod vero indignissimum est, quod portentosam quamlibet insipientiam superexcedit, demum quod prorsus incredibile videri poterit, eo usque istius (laici, an clerici?) superba ac stulta temeritas progreditur, ut dum sua ipsius consilia ac monita ab Episcopis audiri et excipi postulat, quin et exigit atque contendit, eosdem sollicite ac serio admoneat, ne aures forte praebeant vocibus aut consiliis non modo Fratrum suorum Coëpiscoporum, quibuscum commune intercedit officium sententiam de gravissimis fidei causis ferendi, sed ne Illius quidem, qui, cum ei a Christo Domino dictum fuerit, *Pasce agnos meos, pasce oves meas,* universum dominicum gregem, oves scilicet et pastores, pascendi officium a Deo accepit. Usque adeo superbia excaecare hominem potuit!

Ad scandalum porro avertendum, non quidem Episcoporum, quos humiliter audire, non autem superbo ausu docere, nostrum est, sed aliorum, in quorum manus informis illa scriptiuncula inciderit; fas et mihi sit inter catholicae ecclesiae presbyteros infimo, eamdem illam disquisitionem moralem ita instituere, ut easdem omnino quaestiones proponens illud responsum iis subiiciam, quod quisque catholicae scholae lacte enutritus reddere debet. Quoniam vero cum homine mihi res erit, qui neque se prodit, et quem nec ego novi neque nosse laboro; hanc etiam mihi lector veniam indulgebit, ut paulo liberius cum ipso agam, quam mihimetipsi concederem, si cum homine certo disputarem.

DISQUISITIO MORALIS

DE OFFICIO EPISCOPORUM IN EMITTENDIS SUFFRAGIIS CIRCA PERSONALIS ET INDEPENDENTIS INFALLIBILLITATIS ROMANI PONTIFICIS DEFINITIONEM

« Personalis et independens infallibilitas hic intelligitur ea, quae sit ex Papa solo, quin requiratur sive antecedens, sive concomitans, sive subsequens Episcoporum consensus.»

QUAESTIO I.

« *An Episcopus possit sine gravi peccato concurrere per suffragium suum ad condendum decretum, quo Romani Pontificis infallibilitas personalis et independens definiatur tanquam fidei catholicae dogma; nisi prius coram Deo in sinceritate conscientiae suae de hac doctrina ut revelata semperque in Ecclesia, ut talis* (forte *tali*), *passim tradita et credita veram plenamque certitudinem habuerit?* »

A. G. [1] respondet, *Negative*. Et rationem sic subdit: *Si enim Episcopus, non habens illam certitudinem, suffragari nihilominus praesumeret pro definitione huiusmodi, peccaret multipliciter*: 1.° *Contra veracitatem:* 2.° *Contra fidem:* 3.° *Contra iustitiam*: 4.° *Contra officium consulendi paci et unitati Ecclesiae.* Sed male prorsus; nam

Respondendum affirmative. Ratio est, quia ut Episcopus certitudinem habeat sufficientem ad suum in synodo iudicium feren-

1 Hisce siglis, quae *Anonymum Gallum* significant, utor ad anonymum scriptiunculae auctorem indicandum; non quasi homini Gallo adscribi certo illa possit, sed quia cum gallici subinde idiotismi latino amictu penulati in ea occurrant, hi procul dubio auctorem aut gente Gallum, aut certe gallica lingua utentem produnt.

dum, nequaquam necessarius est conditionum, quas A. G. postulat, complexus; atque adeo neque contra veracitatem peccabit, neque contra fidem, neque contra iustitiam, neque contra officium consulendi paci et unitati Ecclesiae, quod immo impie violabit, si ea, quae necessaria non sunt, indiscrete et pertinaciter ad iudicium ferendum exigat.

Ac *primo*: non peccabit contra veracitatem; quia etiam secluso indiscreto illo conditionum complexu satis certus esse potest de sententia, quam profert.

Secundo: non peccabit contra fidem; quia satis certus esse potest, sententiam, quam prolaturus est, deposito fidei esse consonam.

Tertio: non peccabit contra iustitiam; quia si satis certus est, ad revelationis depositum id pertinere, quod iudicando affirmat, iustissime damnandos et a corpore Ecclesiae rescindendos eos pronunciat, qui veritati non obediunt.

Quarto: tandem non peccabit contra officium consulendi paci et unitati Ecclesiae, quinimmo hoc officium impie violabit; quia si satis veritatem cognoscit, et nihilominus pertinaciter exigat non exigenda, impie pacem turbabit, et unitatem proscindet.

Dictum est, *ut Episcopus certitudinem habeat sufficientem ad suum in Synodo iudicium ferendum non esse necessarium illum conditionum complexum*, qui in quaestione proponitur: Exigi videlicet, *ut Episcopus ille coram Deo, in sinceritate conscientiae suae, habuerit veram plenamque certitudinem de hac doctrina, ut revelata, semperque in Ecclesia, ut tali passim tradita et credita.*

Nam quod ait, *coram Deo* rem agendam, egregie dicitur: sic sane minus Episcopi animum pulsabit, atque in transversum aget, quod quidam forte laici, *blasphemantes quod ignorant,* dicturi et cum congrua sui ipsorum ignominia scripturi sint, *liberum non fuisse concilium*, prout A. G. formidat.

Item bene additur, certitudinem *in sinceritate conscientiae suae* habendam; sic coram aeterno iudice testimonium perhibebit conscientia Episcopo, se ad sententiam ferendam non iis impulsum

ullatenus, quae (ut habet A. G.) de Germania, de Gallia, de Hungaria etc. a falsae sapientiae hominibus mussitari audiit, sed a sapientia, quae ex Deo est, se ductum fuisse.

At vero quod Episcopus nosse certo debeat, doctrinam, pro qua laturus suffragium est, non modo ad revelationis depositum pertinere, sed praeterea ipsam *in Ecclesia semper uti revelatam passim traditam et creditam fuisse*, quisnam quaeso praeter eos, qui in canonum theologicorum scientia prorsus sint peregrini, admittat aut contendat?

Aggressi sunt Patres Basileenses (cum Sess. XXXVI adhuc legitime congregatos se aut crederent revera, aut se credere simularent) *definire et declarare*, doctrinam, quae asserit, *B. M. V. immunem semper fuisse ab omni originali et actuali culpa, tamquam consonam fidei catholicae, et sacrae scripturae ab omnibus catholicis approbandam, tenendam, et amplectendam fore.* Rursus: Post editum de eadem doctrina dogmaticum a Romano Pontifice, iudicium, equidem accessit is Episcoporum consensus, quem ad iudicii Apostolici firmitatem necessarium quidam olim dicebant. At vero numquid Patres Basileenses, numquid et Episcopi (si qui putaverint, assensum suum iudicio Romani Pontificis adiungendum) ne gravissimo contra veracitatem, fidem, et iustitiam peccato se inquinarent, certitudinem de hac doctrina quasi in Ecclesia semper tamquam revelata passim tradita et credita, quaerendam censuerunt, aut etiam assequi potuissent? Quinimmo Basileenses non tacent, *hactenus difficilem quaestionem diversis in diversas ac plane oppositas sententias abeuntibus*, agitatam fuisse. Neque Basileenses igitur, inter quos malo fato ingens Parisiensium Doctorum ac Baccalaureorum turba primas utique partes agere, totumque agmen circumducere consuevit, illarum conditionum necessitatem cognoverunt, neque ullus deinde per totam Ecclesiam Episcopus illas conditiones postulavit.

Rursus: si conditiones eiusmodi sunt necessariae, ut Episcopus gravissimi peccati contra *veritatem*, *fidem*, et *iustitiam* reatum non incurrat; quomodo a gravissimo hoc crimine immunes dicemus Episcopos, qui in Synodo Nicaena vel Arelatensi definive-

runt, validum esse baptismum ab haereticis collatum, atque idcirco non rebaptizandos eos esse, qui ab haeresi in Ecclesiae sinum se recipiebant? Quo enim pacto *semper in Ecclesia uti revelatam passim traditam et creditam* habere potuerunt eam doctrinam, quando certo constabat oppositam non modo per universas Africae Ecclesias, et per duos Exarchatus, Ponticum scilicet et Asianum, necnon per Aegyptum (ut litterae Dionysii Alex. testantur) invaluisse et in praxim deductam, sed tum in pluribus Africae conciliis, tum in Iconiensi Phrygiae, et Synadensi Asiae Synodis confirmatam fuisse?

Quid de Tridentinis Patribus deinde dicendum, aut quomodo a gravissima illa violatae *veracitatis*, *fidei*, *et iustitiae* labe possent eximi, quando Sess. IV, intentato anathemate ita sanxerunt: *Si quis libros integros cum omnibus suis partibus, prout in . . . veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit... anathema sit?* Nam diversum sacrorum librorum canonem nobis proferunt Origenes et Athanasius ex Aegypto, Eusebius Pamphili et Cyrillus Hierosol. ex Palaestina, Amphilochius e Pamphilia, Melito Sardensis ex Asia, Synodus Laodicena (cuius canones et Trullani Patres probaverunt) e Phrygia, Epiphanius ex Cypri insula, Nazianzenus e Cappadocia, Damascenus e Thracia, Iunilius ex Africa, Isidorus ex Hispania, Hilarius ex Gallia, Ruffinus ex Italia, ac demum Hieronymus, qui Orientem simul atque Occidentem SS. Litterarum studiis intentus peragravit. Quomodo igitur doctrina a Tridentinis Patribus sancita reperietur *ceu revelata semper in Ecclesia passim tradita et credita?*

Notissimum nimirum est, in hisce, atque aliis quaestionibus, prius, ut Augustinus ait, *nondum eliquatis*, quae nihilominus deinde decretorio iudicio in Ecclesia fuerunt diremptae, illud contigisse, quod idem Augustinus circa haereticorum baptismum (Contr. Crescon. cap. 32) dicit, scilicet *quod inter Episcopos anterioris aetatis... ista quaestio fluctuaret, et varias haberet inter se collegarum salva unitate sententias.*

Quisquis autem minus assequitur nec mente percipit, quî fieri possit, ut Episcopus, de quapiam doctrina certus esse queat,

quantum satis est ad eam uti revelatam iudicandam, utcumque aut ignoret aut non reperiat, eam *ceu revelatam semper in Ecclesia passim traditam et creditam fuisse*; is ad eam Theologiae partem remittendus est, quae inscribitur *De locis Theologicis:* quam quidem si vel minimum quid A. G. delibasset, aut saltem a longe salutasset, nunquam ad iudicium dogmaticum ferendum temere et imperite eas conditiones neque ab Episcopis neque ab ullo hominum ceu necessarias postulasset.

QUAESTIO II.

« *Quomodo efformandum sit certum illud iudicium, ut circa quaestionem propositam suffragium affirmativum tuta conscientia dari possit?* »

Respondet A. G. *Iudicium efformari debet* 1.° *personali examine;* 2.° *prudenter;* 3.° *Argumentis proprie dogmaticis.*

Et hoc quidem responsum admitti utcumque poterit; non item tamen admittenda ea sunt, quae G. A. ad singulas responsi sui partes explicandas per gravissimam in Episcopos ac Romanum Pontificem iniuriam, et per crassam catholicae doctrinae ignorantiam addit. De tribus hisce iudicii conditionibus singillatim dicemus.

ARTICULUS I.

De examine personali.

I. Animadversiones praeviae. — II. Doctrinae de Rom. Pontificis infallibilitate temere *opinionis* nomen affixum. — III. Caecitas et protervia in deterrendo, ne quis Rom. Pontificis iudicium sequatur. — IV. Petitio principii imperitissime obiecta ab Anonymo. — V. Atrox eiusdem in Concilii Vaticani Patres iniuria. — VI. Summa doctrinae catholicae ignorantia.

I.

Animadversiones praeviae.

Et quod ad *examen personale* attinet, A. G. Episcopum cum iudice comparans, duo praescribit; 1.° ne a causae studio sese

eximat; 2.° ne caeca fiducia opinionem aliorum, utut coniudicum, aut etiam Praesidis opinionem sequatur. Quos canones ad rem applicans, cavendum praecipit ne Episcopus *sine proprio studio et examine opinionem, quaecumque illa sit, tum Romani Pontificis,* tum etiam *aliorum Episcoporum* sequatur.

Singula inspiciamus. Ac primo missa nunc fiat instituta Episcopi cum quolibet iudice comparatio, quae in gravissimum contra doctrinam catholicam sphalma hominem imperitum impulit. De hoc infra.

Quod Episcopus itaque, antequam ferat sententiam, a *cognoscenda causae conditione eximere sese non debeat;* si ita accipiatur, quod solidam aliquam iudicii sui rationem perspectam habere debeat, verum est. At alio sensu id A. G. dicit. Et de hoc infra.

Item quod ait, *aliorum opinionem haud caeca fiducia sequendam esse;* si *caeca* intelligatur haec fiducia, quae ne videt quidem cur alteri fidem habeat; quis, nisi demens, de hoc ambigat? Et nihilominus eiusmodi quoque monitum mira huius A. G. sapientia et modestia Episcopis suggerendum operae pretium duxit. Ceterum aliud quid ille per haec insinuat, ut paulo infra videbitur.

Verum stulta A. G. insolentia tunc maxime elucet, cum eos designat, quibus caecam fidem monet ab Episcopo habendam non esse, quique alii non sunt, nisi Romanus Pontifex, Christi Vicarius, et Episcopi in Synodo iudicaturi.

II.

Doctrinae de Rom. Pontificis infallibilitate opinionis nomen affixum.

Et in primis quis aequo ferat animo, quod doctrina de Romani Pontificis infallibilitate voce *opinionis* denotetur? Num homo imperitissimus ignorat, damnatam fuisse propositionem Petri Oxomensis: *Ecclesia urbis Romae errare potest*, ac propterea

tenendam contradictoriam, nempe: *Ecclesia Urbis Romae errare non potest?* Cumque inerrantiae huius privilegium in Capite et ex Capite eiusdem Ecclesiae sit, nec huic sententiae desit (si id A. G. forte exigat) dispersae Ecclesiae consensus, qua audacia *opinionem* vocat doctrinam istam definitivo iam, iudicio sancitam?

Et cum Pius P. VI *omnibus Christi fidelibus* districte praeceperit, ne de *propositionibus et doctrinis* conciliabuli Pistoriensis SENTIRE, *docere... praesumant, contra quam in ea Constitutione declaratur;* in ipsa autem adoptionem sic dictae *Declarationis cleri Gallicani* tamquam *temerariam, scandalosam, ac praesertim Apostolicae Sedi iniuriosam, atque reprobatam et damnatam* decernat esse habendam; nec dispersae Ecclesiae consensus (si quis necessarium hunc esse opinetur) defuerit: qua audacia sic definita doctrina ad *opiniones* reiicitur?

Quod si A. G. respondere velit, nonnullos fortasse extitisse, qui hisce decretis consensum non adiecerint; at inficiari nemo poterit, magnam, quinimmo maximam Ecclesiae dispersae partem (*ad hominem* enim, ut aiunt, disserimus) eas constitutiones religiose admisisse. Quod cum ita sit, nodum iam praecidit damnatus Lutheri articulus XVII: *Si Papa cum magna parte Ecclesiae sic vel sic sentiret...; adhuc non est peccatum aut haeresis contrarium sentire.* Nihil igitur ad damnationem vitandam prodesset, quod aliquorum, si qui extiterint, protervia Apostolicis Pii VI vocibus aures detrectare praesumpserit.

Per insignem igitur tantummodo inscitiam, aut inverecundam protervíam, doctrina de Rom. Pontificis infallibilitate ad meram *opinionem* traduci posset.

III.

Caecitas et protervia in deterrendo, ne quis Rom. Pontificis iudicium sequatur.

Sed iam de fiducia dicendum, quam ne quis in Romani Pontificis arbitratu reponat, A. G. omni studio deterret. Qua in re ut li-

quido constet, quam misere homo iste caecutiat, satis sit in mentem revocare, quid Episcopi interposito iuramento in professione fidei die huius anni sexta solemniter emissa spoponderint: *Sanctam* nimirum, *catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram* agnoscere se, atque agnituros, iuraverunt. Neque obscurum esse ullatenus potest, Romanae Ecclesiae magisterium ad Romanum Episcopum pertinere. Missum porro nunc fiat, quod in Constantiensi Synodo (Sess. 45, Const. Inter cunctas) *Sacro approbante Concilio* sancitum est, *omnes et singulos... qui... de fidei articulis aliter sentire aut docere, quam sacrosancta Romana Ecclesia... docet... tamquam haereticos iudicandos.* Sed vel hoc omisso, quis non iniquissimo animo ferat, quod nunc in scaenam prodeat homo ab auribus Romano Pontifici praebendis illos deterrens Episcopos, qui eundem Romanum Pontificem tamquam magistrum se habere et habituros iurarunt? Et dum Hieronymus hanc reddit rationem, cur ad Damasum scribat (Epist. XV, n.° 1), quia (inquit) *mihi cathedram Petri et fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, inde nunc meae animae postulans cibum*, et quia (subdit) *profligato a sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta patrum servatur haereditas . . . vos estis lux mundi, vos sal terrae, vos aurea vasa et argentea;* quo ausu Anonymus iste novum promens canonem contendit, in quaestione fidei *non esse consulendam cathedram Petri, non consulendam fidem apostolico ore laudatam, non hinc postulandum animae cibum:* quasi vero alibi iam incorrupta servetur patrum haereditas, a Romano autem Pontifice profligatum sit fidei patrimonium, ut iam neque *lux mundi* sit, nec *sal terrae*, nec *aurea vasa et argentea?*

IV.

Petitio principii imperitissime obiecta ab Anonymo.

Sed (inquit Anonymus G., ad dialecticam recurrens) *esset petitio principii, si praesupponatur infallibilitas Papae, quae idipsum est, de quo quaestio movetur.*

Nimirum homo controversiarum fidei plane oblitus non pervidet, hoc ipsum dici posse de Conciliis et de Ecclesia. Sane, ut haereticus sit quisquis neget aut Conciliorum aut generatim Ecclesiae infallibilitatem, haec infallibilitas dogmatico iudicio definiri debuit. Quaero enimvero: undenam habebimus definitivam hanc et infallibilem de Conciliorum aut Ecclesiae infallibilitate sententiam, si aliunde quam a Conciliis vel ab Ecclesia sit expetenda? Et si eiusmodi definitio a Conciliis vel ab Ecclesia quaerenda sit, nonne recurret eadem illa petitio principii, atque adeo praesupponetur ea infallibilitas, *quae idipsum sit, de quo quaestio movetur?*

Adeat itaque A. G. qualemcumque Theologiae cursum; eam partem inspiciat, in qua *de iudice controversiarum* agitur; facile inde addiscet, quae via tenenda sit, ut in eiusmodi quaestionibus vitium *petitionis principii* devitetur.

In praesenti quaestio est: an sententia, asserens *Romanae Sedis Episcopum ac Petri Apostoli successorem in pascendo ac docendo pro munere sibi credito dominicum gregem errare non posse*, contineatur, nec ne, in deposito fidei seu revelatae doctrinae. Inde ergo petenda est quaestionis solutio, ubi depositum fidei conservatur. Et siquidem quispiam cum Hieronymo, immo cum universa Ecclesiae traditione credat, hoc depositum integrum, incorruptumque in Ecclesia Romana seu Cathedra Petri servari, num praepostere quis acturus dicetur, si solutionem quaestionis ab Ecclesia Romana requirat? Et haec quidem ad propellendam insolentem iniuriam, qua Romanos Pontifices A. G. hoc loco impetit; nam caeteroquin et alii fontes, e quibus fidei depositum depromatur, notissimi sunt. Quin et A. G. si Theologos de hoc argumento tractantes consuluisset, facile deprehendisset, quomodo vitium principii petiti vitent, nec sane infallibilitas Summi Pontificis ex supposita eiusdem infallibilitate ab ipsis deducatur.

V.

Atrox A. G. in Concilii Vaticani Patres iniuria.

Pauca nunc circa illud, quod A. G. cum summa itidem iniuria subdit de Episcopis. In quo duo maxime consideranda occurrunt. Primum quod Episcopo interdicat, ne, sine examine, aliorum Episcoporum, qui stant pro Pontificia infallibilitate, sententiam (*opinionem* inscite A. G. dicit) sequatur. Alterum, quod secus Concilium evadet non iudicantium coetus, sed turba caecutientium.

Et quod attinet ad primum, enimvero diceres, ex ineptissimi istius A. sententia Episcopos, qui ad Concilium Vaticanum convenerunt, universos aut e veteri Boeotia huc adventasse, aut etiam de mundo lunari delapsos esse, aut certe quaestionem proponi ad dies usque nostros inauditam, aut certe hucusque mentis humanae viribus imperviam. Quid igitur dicendum, quando contra adeo trita ac vel plebeculae christianae notissima est haec Pontificis Romani praerogativa, adeo doctores pene universi hanc controversiam et quaquaversus pertractarunt, et splendidissimo lumine collustrarunt, ut reipsa, nisi Episcopos tibi fingas ceu stupidum pecus, eam ipsis incompertam fingere plane stultum sit? Et cum Episcopi, alii quidem ad eam dignitatem post plures annos in tradendis sacris disciplinis exactos ascenderint, alii post lauream in re theologica atque canonica promeritam, omnes vero in sacris excolendis studiis versati ; quid est, quod universi nobis ab isto A. exhibeantur adeo inepti, ut nemo alterius sententiae possit acquiescere, utut de eiusdem doctrina ac scientia solida certior iam sit?

VI

Summa doctrinae catholicae ignorantia.

Quod vero tolerari nullo modo potest, quodque A. G. ceu hominem designat, cui vel prima christianae catecheseos elementa sint incomperta, illud est, quod per absurdissimam Concilii oecu-

menici comparationem cum quovis hominum de negotio aliquo communiter deliberantium coetu, de iudicio portendit Episcoporum, qui ante praemissum examen eiusmodi, cuiusmodi sibi ipse necessarium effingit, suffragium in Synodo tulisse putentur. *Non coetus* (inquit) *foret iudicantium, sed turba caecutientium.* Quid enimvero? Num iste iam praeoccupando parat sibi viam, qua Synodi iudicium, sibi forte invisum, facile eludere et effugere possit? Nos catholicae Ecclesiae filii promissis firmissime credimus Christi Domini dicentis: *Ego sum in medio eorum:* dumque superbum nobis non assumimus munus docendi Episcopos de ipsorum in iudicandis fidei causis officio, simul nefas ducimus temere suspicari, eos officio suo ulla ex parte deesse. Sed quidquid demum de hoc sit, post prolatum ab ipsis in Synodo iudicium, nihil opus ducimus inquirere, praemiserint necne iudicio examen. Firmissima quippe stat promissio Christi; et qui nobis praecepit, *ut Ecclesiam audiamus*, ipse, qui se ipsum negare non potest, committet nunquam, ut quidpiam Ecclesia praeter veritatem nos doceat.

Propterea quisquis cum A. G. suspicetur, e Synodo prodire sententiam posse, quae, quasi *a caecutientium turba*, non vero a iudicantium coetu egressa, contemni queat, hic caecus ipse est, hic fidem ignorat, hic Ecclesiam ignorat, hic Christum nescit, immo et fidem negat, negat Ecclesiam, Christum negat.

ARTICULUS II.

De prudentia in iudicio efformando.

I. Praeiudicia Scholarum abs re huc inducuntur. – Thomas Waldensis binas tantum Scholas novit, catholicorum, et haereticorum. — II. Idipsum colligitur testimoniis Melchioris Cani, Suerezii, et Bellarmini. — III. Abusive inducitur quaedam Gallicana Schola. – Huius aetas, praecessores, auctores. — IV. Haereticum Io. Gersonis systema, unde theses gallicanae exortae. — V. Haereticum Petri Alliacensis systema, e quo gallicanae theses. — VI. De usu SS. Scripturarum apud parisiensis scholae patres. — VII. Systema item haereticum Io. Breviscoxee, aliorumque Doctorum parisiensium. — VIII. Egregia praecedentium systematum consectaria. — IX. Doctor Paris. Iac. Almainus eadem labe infectus. — X. Almaino pestis etiam a praecessore Io. Maiori Doctore Paris. propinata. — XI. Hinc arma haereticis suppeditata, et haereticum Richerii systema. — XII. Hinc praestitum Vigorio, Launoio et Dupiuio praesidium. — XIII. Cuiusnam Scholae praeiudicia videantur abiicienda. — XIV. Adversus inerraus Rom. Pontificis magisterium, falso gallicana schola, falsius gallicana Ecclesia iactatur.

Sed iam ad alterum est deveniendum, quo A. G. postulat, *ut iudicium* (ut ait) *sit prudenter efformatum.* Duo autem ad id requirit: 1.° *Deponenda* (inquit) *praeiudicia scholarum, in quibus quisque educatus est.* 2.° *Omnes hinc atque inde rationes attenta consideratione introspiciendae et ponderandae sunt.* Singula inspiciamus.

I.

Praeiudicia Scholarum abs re huc inducuntur. — Thomas Waldensis binas tantum Scholas novit, catholicorum, et haereticorum.

Et primum quidem aequissimum dixeris; sed enim prorsus abs re in medium hic adducitur. Quasnam enim scholas, quarum praeiudicia sint deponenda, A. G. somniat? Nos duas omnino in

controversia praesenti scholas olim novimus extitisse, quae notissimae omnibus esse debent. Altera catholicorum fuit, altera haereticorum, qui doctrinam catholicam pacifice dominantem, sed sibimet valde incommodam impugnare et deturbare aggressi sunt. Egregie iam inde ab aetate sua Thomas Waldensis (De D. Petro et de Rom. Pont. Cap. 32, n. 3): *Omnes pene haereses principales contra Romanorum Praesulum potestatem insurgunt, dicentes cum patre suo Chore* etc. Cumque in eam rem vetustiores Arianos memorasset, *istorum* (subdit) *exemplum volavit ad posteros, et iam tardis diebus abbas Ioachim et post eum Petrus Ioannes ea peste tanguntur.... Huius etiam pestis sectator erat Gerardus Sagarellus de Parma.... Haeretici quoque Valdenses hanc sibi blasphemiam colligebant.... His ergo et similibus aliis deridendis Doctoribus assurgit noster Vitcleff, et Sagarellinae scholae se spondet discipulum. Hi ergo Patriarchas suos reverenter extollunt Chore, Dathan, et Abiron.* Haeretici autem in Romanos Praesules furoris causam sic idem Thomas explicat, de Vitcleffo loquens (Op. cit. Cap. 47, n. 2.): *Hoc unum conatur furor eius haereticus, ut Papa ad* DETERMINANDUM *et approbandum veritates catholicas, et e contrario ad cancellandum et destruendum molitiones haereticas facultatem nullam habeat ceteris altiorem.*

Et reipsa quis iam nesciat, hac omnino de causa veterum haereticorum successores, lutheranos, inquam, calvinianos, ceterasque inde exortas pestes innumeras, ac demum iansenianos, legitimam sane praecedentium haereticorum sobolem, ab impugnanda hac sibi maxime invisa Romani Pontificis praerogativa nunquam destitisse?

Sed et hinc cernimus catholicos, praesertim postquam ab Vitcleffi aevo furor haereticus ardentius efferbuit, pro tuendo traditae fidei deposito fortiter et constantissime dimicasse. *Pro tuendo*, inquam, *traditae fidei deposito*. Ut enim (ibid.) habet Waldensis Thomas, *Orthodoxi omnes ad iudices, Christi currunt Vicarios, et ordinate requirunt, ut tandem planam teneant verita-*

tem. Propter hoc enim, ut vere credunt.... licet.... inter omnes mortales singillatim acceptos petere Papam, cuius moderamen et decisio PRO IRREFRAGABILI VERO *tenebatur a Patribus. Apud ipsum enim pie credebant totius fidei nostrae latere mysteria, et pectus eius imbutum butyro illo prophetico, quo sciret reprobare malum et eligere bonum.* Et cum (Cap. 5, n. 3) praemisisset: *Scrutemur ergo certiores magistros Ecclesiae, qui de magisterio Petri secundum Scripturas sanctas nos doceant veritatem...* demum post multa infert : *Habes, quod in Petro post Christum sunt omnes causae magisterii, quemadmodum in Salvatore. Plenus ergo, et non partialis magister Ecclesiae sanctus Petrus.... Si ergo secundum omnes causas magister est Petrus, magister ergo est omnis fidei... Et quidquid Petro negaveris post Christum, Christo negasti.*

II.

Idipsum colligitur testimoniis Melchioris Cani, Suarezii, et Bellarmini.

Nec aliam scholarum partitionem nobis exhibet Trid. Concilii Theologus Melchior Canus (lib. 6, c. 6 Loc. Theol.): *Illud assero, ac fidenter quidem assero, pestem eos Ecclesiae ac perniciem afferre, qui aut negant, Romanum Pontificem Petro in fidei doctrinaeque auctoritate succedere, aut certe astruunt, summum Ecclesiae Pastorem, quicunque tandem ille sit, errare in fidei iudicio posse. Utrumque haeretici faciunt; qui vero illis in utroque repugnant, hi in Ecclesia catholici habentur.*

Quod idem ex Suarez habemus, ubi (De fid. Disp. 5, Sect. 8, n. 4) ait: *Veritas catholica est, Pontificem definientem ex cathedra esse regulam fidei, quae errare non potest... Ita docent hoc tempore omnes catholici Doctores, et censeo esse rem de fide certam.*

Et si *omnes doctores catholici* hoc docent *tamquam veritatem catholicam*, adeo ut opposita doctrina, ut inquit Bellarminus (De Rom. Pont. lib. 4, cap. 2), censeri possit ut *omnino erronea et haeresi proxima*, quasnam excogitabimus scholas esse, quarum praeiudicia, Episcopi, ut nostri A. monitis pareant, a se debent excutere?

III.

Abusive inducitur quaedam Gallicana Schola. — Huius aetas, praecessores, auctores.

Sed enim, inquiet A. G..., praetermittenda hic non est vetus parisiensis seu gallicana schola, in qua nemo ignorare potest oppositam doctrinam plus minus obtinuisse.

Egregie omnino; praesertim vero, si nostri A. sermo eo tendat, ut si quis forte aut Episcopus, aut Episcopi adhaerens lateri, opiniones eas imbiberit, ab his sua iudicia perverti non sinat. Sin autem ad catholicae doctrinae sectatores verba dirigit, ego vero valde dubito, an ullus futurus sit, qui vel minimam putet rationem habendam istius gallicae scholae, si tamen haec *scholae* appellatio attribui illi aliquatenus possit.

Et sane 1.° istiusmodi schola, quatenus a communi catholica doctrina secessit, singularesque de Romano Pontifice opiniones sectari coepit, non antiquior saeculo XV est; et Ioannes Maior, Doctor parisiensis (De auctorit. Concil. inter. Opp. Gers. tom. II, pag. 1132) ingenue fatetur, a *Diebus Concilii Constantiensis* academiam parisiensem a communi doctrina declinasse. At vero quod ad eam usque aetatem et quoad eam doctrinam, de qua tam frequens, immo assidua usquequaque mentio in Conciliis, in Romanorum Pontificum epistolis ac Constitutionibus, in scriptis Patrum omnigenis, atque in Tractatibus SS. Doctorum occurrit, catholica plebs, immo Ecclesia universa in densis tenebris versata fuerit, id profecto nimis durum est, nec ullus admissurus erit catholicus.

2.° Quinimmo cum opiniones ex Baccalaureis, Doctoribus, et Cancellariis parisiensibus tunc erumpentes, patronos praecessoresque alios in antecessum non habuerint, nisi haereticos, uti superius Waldensem Thomam proclamantem audivimus; numquid vero amodo statuemus, caelestis doctrinae radios eo usque solis haereticis affulsisse?

3.° Sed et quinam scholae huius Auctores? *Petrus Alliacensis* (respondet Auctor Decl. Cler. Gallic. p. 1, lib. 1, c. 5), et *Ioannes Gerson*, qui insuper Constantiensem Synodum sententiis suis regendam, quin et in suas sententias (si superis placeret) adducendam assumpsit.

4.° At vero cum et A. G. egregie statuat, *iudicium nonnisi ex argumentis vere proprieque dogmaticis ferri de his quaestionibus oportere, ex apertis nimirum SS. Scripturarum textibus vel antiqua et certo constante Ecclesiae catholicae traditione*; quaeramus enimvero tantisper, an hisce armis instructi in aciem cum suis Baccalaureis Gerson, aut Alliacensis prodierint.

IV.

Haereticum Io. Gersonis systema, unde theses gallicanae exortae.

Praestat in primis ea delibare, quae ad res Ecclesiae in Constantiensi Synodo iam iam inchoanda apte componendas scripsit Cancellarius parisiensis scholae Ioannes Gerson in *Tractatu de modis uniendi ac reformandi Ecclesiam*. Pauca attingamus.

In capite secundo, cui titulus: *De unitate Ecclesiae, deque Ecclesiae distinctione in Catholicam et romanam*, duas ecclesias scilicet 1.° *catholicam*, 2.° *apostolicam*, placuit Cancellario nostro distinguere, easque ita describere: *Catholica universalis Ecclesia ex variis membris unum corpus constituentibus, sive ex graecis, latinis, et barbaris, in Christum credentibus, ex hominibus et mulieribus, ex rusticis et nobilibus, ex pauperibus et*

divitibus est coniuncta et nominata. Cuius corporis universalis Ecclesiae caput Christus solus est. Caeteri vero, ut Papa, Cardinales, et Praelati. . . sunt membra inaequaliter disposita.

Nec istius Ecclesiae Papa potest dici nec debet caput, sed solum Vicarius Christi, eius vicem gerens in terris, DUM TAMEN CLAVIS NON ERRET.

Et in hac Ecclesia et in eius fide omnis homo potest salvari, etiamsi in toto mundo aliquis Papa non posset reperiri, et non inveniretur.

Et causa est, quia IN HAC SOLUM ECCLESIA EST CHRISTI FIDES FUNDATA, ET HUIC SOLI ECCLESIAE EST POTESTAS LIGANDI ET SOLVENDI TRADITA. *Quia dato quod nullus Papa esset, adhuc aliquis fidelium remedium ligandi et solvendi inveniret.*

Haec Ecclesia de lege currenti nunquam errare potest, numquam deficere, nunquam schisma passa est, numquam haeresi maculata est, nunquam falli aut fallere potest.

Haec Gerson de Ecclesia *catholica:* nunc de ea, quam vocat *apostolicam.*

Alia vero vocatur Ecclesia Apostolica particularis et privata, in Catholica Ecclesia inclusa, ex Papa, Cardinalibus, Episcopis, Praelatis, et viris ecclesiasticis compaginata. Et solet dici Ecclesia romana, cuius caput Papa creditur, ceteri vero ecclesiastici tamquam membra inferiora et superiora in ea includuntur.

Et haec errare potest et potuit falli, et fallere, schisma et haeresim habere, etiam potest deficere.

Et haec longe minoris auctoritatis videtur esse universali Ecclesia..., et est quasi instrumentalis et operativa clavium universalis Ecclesiae, et executiva potestatis ligandi et solvendi eiusdem. Nec de recta conscientia maiorem habet vel habere potest auctoritatem et executionem potestatis, quam sibi ab universali Ecclesia conceditur.

Ex his itaque habemus, cuiusmodi sit basis solidissima, quodnam fundamentum, cui parisiensis seu gallicanae scholae primi-

pilus superaedificavit molem doctrinae, quae Romanum Pontificem et infallibilem negat, et Concilio subiicit.

At vero, peto nunc ab A. G.: Estne haec *traditio antiqua et certe constans in catholica Ecclesia?* Docetne haec traditio, docentne sacrae Litterae cum Gersone, supremam totamque potestatem a Christo datam fuisse plebi Christianae, quae ex viris et mulieribus, ex rusticis et nobilibus constat, et ab hac plebe deinde Ecclesiae praesulibus communicari? Docentne traditio aut S. Litterae, Ecclesiam, quae constet ex Summo Pontifice, et Cardinalibus et Episcopis etc., quam catholici *Ecclesiam docentem* appellant, posse *falli et fallere, schisma et haeresim habere?*

Vel potius posset A. G. vel obiter attingere, quotnam haeresibus scateat hoc sui Gersonis systema iam pridem in Marsilio Patavino et Ioanne de Ianduno, et deinde iterum ac pluries uti haereticum damnatum? Et cum gallicanae de Romano Pontifice theses ab haeretico systemate exortae, et eidem haeretico systemati innixae iam inde a suis initiis appareant, estne, cur catholici quidpiam reverentiae huic scholae deferant, aut etiam *scholae* nomen tribuant, si *schola catholica* intelligatur?

Neque vero minus pretiosis margaritis haereticum suum systema Gerson circumcinxit et exornavit.

Ut plura alia nunc omittamus, videsis in primis necessitatem charitatis, ut quis Papa esse queat, quae est gemma ex Vicleffi et Ioannis Hus thesauris desumpta: *Perpende* (inquit Gerson cap. 5 cui titulus de Pontificis Romani auctorit.), *quanta fraude, quanta astutia temporibus antiquis fuerint facta et dicta quamplurima ad tenendam hanc dignitatem Papatus, quam Christus nunquam concessit aeternaliter, nisi ad tempus, illis* QUI DILIGUNT DEUM IN TOTO CORDE ET VERITATE. Et clarius infra: *Ridiculum est dicere, quod unus homo mortalis dicat se potestatem habere ligandi et solvendi a peccatis, et quod ille sit filius perditionis, simoniacus, avarus, mendax, exactor, fornicator, superbus, pomposus et peior quam diabolus.* Id profecto canebat etiam Ioannes Wicleffus articulo octavo ex damnatis

in Concilio Constantiensi. *Si Papa sit praescitus et malus, et per consequens membrum Diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Caesare.* Et Ioannes Hus in XII ex articulis in eodem Concilio damnatis: *Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus: cum..... nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem.*

Nec deest alia gemma haereticorum et veterum et recentiorum propria, ubi (cap. 6 seq.) aperte Gerson enunciat: *Certum est, quod existens in peccato mortali nec sit in Ecclesia nec de Ecclesia, quae est fundata in charitate.* Quae quidem antiqua Donatistarum haeresis est et rursus damnata in quinque propositionibus (a 72 ad 76) Paschasii Quesnelli.

Et quoad Pontificis Potestatem addi potest et ista alia gemma cum eius systemate intime connexa: (ex cap. cui titulus: *Acris censura etc.*): *Respondeo,... quod Papa non possit plura in Ecclesia ordinare et statuere, quam ab ipso Christo, et post ab ipsa Universali Ecclesia est et fuerit ipsi concessum.* Quae doctrina etiam in Constit. *Auctorem Fidei* (n. 3.) declaratur *haeretica.*

Et haec satis de Gersone, qui alioquin in academia sua, ut Ioannes Maior testatur, *Christianissimi Doctoris* titulo fuit insignitus!

V.

Haereticum Petri Alliacensis systema, e quo gallicanae theses.

Ludovicus Moreri in Lexico Histor. (*Vid. Pierre d'Ailly*) non censuit praetermittendum, non defuisse qui Petrum Alliacensem ceu *Lutheri et Calvini praecursorem* notaverint. Et certe (ut hoc obiter innuam) non nisi gratissimum accidere Luthero et Calvino potuit, quod Alliacensis (De comm. S. Script. inter Gers. Opp. tom. I, pag. 604, Edit. Du Pin) in verbis illis Matthaei: *Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,* nomine *petrae* sa-

cram scripturam intelligi posse docuerit; itemque quod (In vesperiis l. c. pag. 666) contendat, nomen *Ecclesiae* in S. Litteris nunquam accipi pro *Congregatione Clericorum* alicuius ecclesiae; quocirca illud Matth. XVIII, 13. *Dic Ecclesiae*, ad fidelium omnium multitudinem, tamquam ad supremum tribunal debeat referri.

Sed ut plurima alia omittamus, ad cognoscendas theorias ab Alliacensi praestitutas, e quibus celebres Gallicanae de Romano Pontifice theses profluunt, satis sit principium, quod statuit ubi quaerit, *An Petri Ecclesia fide confirmetur*. Cui quaestioni respondet, (l. c. pag. 684), *quod semper est et erit aliqua ecclesia, quae per rectam Christi legem regulabitur, et ei conformabitur. Et ipsa est Ecclesia universalis, et non aliqua particularis ab universali Ecclesia distincta. Sed quod sic semper perseverabit universalis Ecclesia in fide, non potest convinci ratione, sed principaliter convincitur ex Scripturae auctoritate.* Nam cum huic Ecclesiae, quam dicit ex omnium fidelium multitudine compositam, infallibilitatem exclusive tribuat, iam ab Alliacensi, non secus ac a Gersone, haereticum et damnatum Marsilii Patavini systema rursus instauratum cernimus. Sed alia non minus mirabilia inspiciamus.

Contra hanc thesim, quae infallibilitatem soli Ecclesiae sic intellectae attribuit, ex sententia cuiusdam magistri, cuius silet nomen, obiicit (l. c. pag. 688) quod 1.° *nec generale concilium,* 2.° *nec tota multitudo clericorum, et laicorum virorum,* 3.° *nec romana ecclesia, quae distinguitur a tota congregatione fidelium, sicut pars a toto, difformari potest legi Christi.*

Quid autem ad ista Alliacensis? Habe, et mirare vere mirabilem fundatoris novae parisiensis scholae sapientiam.

Ad I quoad concilium generale (ibid. pag. 689): *Ad ista probabiliter respondent aliqui, quod Concilium generale potest contra fidem errare, imo de facto sic aliquando erravit... Quod si Concilium generale contra fidem erraret; ab ipso appellare liceret ad aliud concilium generale... et si iterum illud erraret,*

liceret ad aliud appellare, et sic semper donec catholici convenirent. Insuper si Papa non esset praesens, Concilio generali errante, liceret, ad ipsum praesentem, vel ad ipsum cum alio Concilio congregando appellare; vel etiam ad universalem Ecclesiam, si posset in unum convenire, esset PRINCIPALITER *appellandum. Si vero tota christianitas esset sic depravata, quod soli haeretici haberent potentiam, et quod soli pauci simplices et pauperes manerent in fide, et reputarent Concilium errare, nec possent se humano consilio aut auxilio tueri vel defendere, non restaret aliud, nisi se divinae gratiae committere, et illam iniuriam patienter tolerare, cum gemitu, tristitia, et dolore, sicut Hieronymus consulit viro ecclesiastico etc. Quantum vero ad illud quod dicitur de subiectione in causis fidei etc. Dicunt, quod omnis persona et omnis congregatio errans in fide, omni alteri non sic erranti in causa fidei est subiecta; et talis est praestantior in Ecclesia, qualiscumque aut cuiusque conditionis existat.* — Ita quidem illi, et, ut ait Alliacensis, *probabiliter*, et ita *probabiliter*, ut nihil in his ipse notandum invenerit: quocirca ex Doctoris huius eximii sententia iam nec Papa, nec concilium oecumenicum etiam cum suo capite, et ne ipsa quidem tota christianitas iudicium proferent in fide, quod infallibile certo haberi debeat. Quibus admissis principiis, patet, iure denique suo usos esse, quotquot haeretici ab Ecclesiae initio, utut in Conciliis damnati, in sententia sua tamen perstiterunt: reputarunt enim haeretici omnes, tum Concilia tum reliqnos omnes christianos contra fidem errare.

Ad 2. quod nec universus clericorum coetus errare in fide possit, respondet Alliacensis (ibid. pag. 690): *Ad ista potest probabiliter dici, negando antecedens... Licet* (inquit) *tota multitudo clericorum contra fidem erraret, tamen aliquis sacerdos remaneret...Uno modo dicunt aliqui, quod licet omnes clerici haereticarentur, aut omnino nulli remanerent, propter hoc ecclesia potestatem habendi praedicta nequaquam amitteret...per miraculosam Dei operationem.* E quibus rursus profluit, *probabiliter*

Ecclesiam docentem errare et in haeresim prolabi ex Alliacensis sententia posse.

Demum quoad 3. obiectum, scil. errare non posse (l. c. p. 690) *ecclesiam romanam illam, penes quam residet autoritative totum iudicium in his, quae fidei sunt totius universalis ecclesiae, secundum ordinem a Christo institutum, quae scilicet complectitur Papam et alios rite ad suum Collegium pertinentes,* respondet (ibid. pag. 691) Alliacensis:

Ad ista probabiliter.... potest dici, quod capiendo romanam Sedem modo praedicto, ipsa potest difformari Legi Christi, nec ad hoc sequitur, universalem Ecclesiam Legi Christi difformari; et ad probationem dicitur, quod Christus solum de Ecclesia universali, et non de aliqua Ecclesia particulari, ordinavit, quod nunquam difformabitur suae Legi, sicut in Vesperiis probavi. Et quando ultra arguitur, quod imo de illa Ecclesia particulari, apud quam residet autoritative Iudicium universalis Ecclesiae, et quae a Christo constituta est caput ipsius etc.; Respondetur, quod ipsa particularis Ecclesia romana non est caput universalis Ecclesiae, nec apud eam residet autoritas praedicta, nisi sub conditione, scilicet QUAMDIU IPSA MANET IN FIDE RECTA. *Nam licet ipsa in Beato Petro recepit eam, tamen nihil videtur prohibere, quin eam possit perdere, sicut in Ecclesia Antiochena; et ita si ipsa fieret infidelis aut haeretica, illi qui prius erant Ecclesia romana, desinerent esse caput Ecclesiae, nec haberent talem principatum aut auctoritatem, nec propter hoc deficeret fides Ecclesiae Universalis.... quia corpus Ecclesiae sine capite manet vivum, scilicet vita fidei et gratiae absque capite in terris... Et quamvis Romana Ecclesia post Papam sit ipsius Ecclesiae membrum principale, et ratione ipsius possit dici caput eius, tamen sine ipsa posset esse Ecclesia.* Quae quidem doctrina in haereticis Marsilio Patavino et Ioanne de Ianduno, immo etiam in Ioanne Vicleffo, et Ioanne Hus iam damnata, palam facit neutiquam a vero eos aberasse qui dixerunt, Alliacensem (cui et Gerson merito adiungi vidimus) Luthero, Calvino, aliis-

que haereticis ad contemnendas tum Pontificis, tum Romanae Ecclesiae, tum totius Ecclesiae docentis sententias viam stravisse.

Quocirca utique sibi hanc gloriam habeat Auctor Defensionis Decl. cler. Gallic., ubi de duobus istis magistris scribit (l. c. cap. 5.): *Hos post SS. Patres et post sacratissimas Oecumenicas Synodos Pisanam et Constantiensem, hos, inquam, schola parisiensis suae sententiae duces habuit.* Quae vero sic subdit: *neque illos, ut nonnulli iactant, in hoc argumento suspectos, imo vero Sedis Apostolicae ac Pontificiae maiestatis contra Vicleffum et Hussum studiosissimos defensores, atque extincto schismate instauratores egregios, ut quae de Conciliorum auctoritate dixerint, amore veritatis, tuendaeque fidei ac instaurandae ecclesiasticae disciplinae studio dixisse constet:* haec, inquam, num veracis historici, an impostoris dicenda sint, facile ostendunt vel pauca ea, quae diximus.

VI.

De usu SS. Scripturarum apud parisiensis scholae patres.

Caeterum nuspiam melius elucet sapientia istorum hominum, qui parisiensis scholae patres habentur, quam in usu SS. Litterarum ad absurdas illas atque haereticis dignas theorias confirmandas.

Audiamus Alliacensem, ubi *soli* fidelium multitudini inerrantiae in fide privilegium vindicat (In Vesperiis l. c. pag. 670): *Illud* (inquid) *quod in sacra Scriptura promittitur toti, et nulli parti, non debet alicui parti attribui. Sed semper rectam fidem habere in sacra scriptura a Christo promittitur toti et soli fidelium congregationi. Igitur hoc non debet alicui particulari Ecclesiae catholicorum attribui, imo debet temerarium censeri.* At enim quomodo probat assumptum? *Probatur primo* (inquit) ex illo verbo Christi, Luc. XXII, 32: *Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* At vero quisnam credat, ad haec absurda deduci quempiam mente sanum posse? Nimirum Christus rogat pro Pe-

tro, ut non deficiat fides non quidem Petri, sed multitudinis fidelium; et hanc deinde multitudinem, cui inerrantia promissa est, Petrus, cui non fit inerrantiae promissio, confirmare in fide iubetur!!!

Et tamen ecce tibi Parisienses Doctores et Ioannem Maior (De Auctorit. Concil. Gerson. Opp. tom. 2, pag. 1142) et alterum Ioannem, cui cognomen Breviscoxa (De fid. et Eccl. etc. Gerson. Opp. tom. 1, pag. 887, 889, 893, 894 et praesertim 898), et Iacobum Almainum (qui De Potest. Eccl. cap. XVI insuper dicit, se in eo magistrum Gersonem sequi) super eandem hanc basim tam perbelle in S. Litteris fundatam aedificium adversus Romanam Sedem extruentes!! Haud dissimile autem exemplum sacrae hermeneuticae, seu melius profani SS. Litterarum abusus in lectoris oculos inferius n. IX. et X. recurret.

VII.

Systema item haereticum Io. Breviscoxae, aliorumque Doctorum parisiensium.

Nonnulla alia iuverit subiicere ex aliis scholae parisiensis doctoribus, ut eo clarius constet, tum de principiis, quibus gallicanae theses nituntur, tum de obsequio eidem scholae in re praesenti debito.

Primus prodeat Ioannes Breviscoxa, de quo (Op. cit. p. 904) legimus: *Fuit promotus ad Ecclesiam parisiensem an. 1421, et deinde ad Episcopatum Gubennensem; et fuit* SOLEMNIS DOCTOR *in sacra theologia Parisiensi, suo tempore.*

Ecce autem tibi statim occurrit haec praeclara eius sententia (Op. cit. pag. 840): *Non ad solam monitionem Papae quilibet tenetur suum errorem revocare; quia Papa tenetur de fide rationem reddere, sicut caeteri Praelati....; tum quia fides nostra non consistit in sapientia Papae!*

De Petri autem primatu (ib. pag. 882): *Ex sacra Scriptura non sequitur evidenter, quod Petrus fuerit Primas aliorum, sed probabilius sequitur illud, quam oppositum.*

Quod si de eodem Primatu Petri, scribit (ibid.): *Opinio, quae ponit, quod Petrus recepit a Christo immediate Principatum super caeteros Apostolos, est communior et securior, imo fortasse non est securum dicere oppositum;* at in primis et ipse id habet ut *meram opinionem;* deinde vero (quod sane dignissimum est, ut advertatur) nobis aperit, quid in eadem Academia alii sentirent, hisce verbis (pag. 875): *Alii vero dicunt, quod Petrus pro se et suis successoribus Primatum super omnes fideles recepit a Christo; sed ista dignitas seu potestas consistit in ordinando et praeficiendo Episcopos...., nullam habens per ordinationem Christi iurisdictionem coactivam sibi annexam.* Quae est doctrina iam in Marsilio Patavino damnata ceu haeretica.

Et paulo post (pag. 877): *Dicunt nonnulli, quod Papa, inquantum Vicarius Christi, et successor Petri, neminem excommunicare potest; sed hanc potestatem habet ab Ecclesia, quae in eum potestatem excommunicandi transtulit.* Quae itidem doctrina ad systema pertinet iam pluries damnatum uti haereticum.

Cuius quidem systematis ut penitus indoles cognoscatur, videsis, quomodo adiaphorum ipsi sit vel unum vel multiplex caput in Ecclesia haberi. Audiatur Doctor (ibid.): *Dicunt igitur isti, quod Petrus nullam a Christo recepit iurisdictionem coactivam. Ad illud vero quod dicunt alii, quod Deus insufficienter providisset Ecclesiae suae, respondent isti: quod immo sufficienter providit Ecclesiae suae, quia potestatem corrigendi et cohibendi delinquentes commisit Communitati Ecclesiae, dicens* Matth. XVIII: Si peccaverit in te . . . *Non tamen arctavit Christus Communitatem fidelium ad certum modum corrigendi, quin posset per seipsam vel per aliquam singularem personam, quae vicem gereret Communitatis, corrigere delinquentes. Similem potestatem corrigendi videtur accepisse B. Paulus a Communitate fidelium unius Provinciae vel diversarum Provinciarum, dum ipse Corinthium excommunicavit. Et in Ecclesia fidelium* (Communitas) *unum caput vel plura potest eligere... habentia potestatem corrigendi delinquentes. Immo dicunt isti, quod pro bono Communitatis est quod in potestate Ecclesiae sit, unum caput vel*

plura eligere, cuius (sic) *et quando expediens videtur Ecclesiae, haberet potestatem deponere. Nam cum in Communitate non invenitur aliquis idoneus, ut solus huiusmodi iurisdictionem valeat exercere, in illo casu plures constitui vel praefigi regentes seu plura capita, habentia potestatem seu iurisdictionem huiusmodi. Quando autem in Communitate invenitur unus idoneus, ut solus regat..., et subditi* SPONTE *unius iurisdictionem patiuntur, tunc melius est unum, quam plures Communitati praeesse. Et quia propter multitudinem personarum, temporum, et locorum, non potest in his certa regula dari: ideo Christus nequaquam certam tradidit, nec huiusmodi iurisdictionem coactivam non soli dedit, sed solum Communitati fidelium, ut in huiusmodi potestate unum vel plura praeficerent. Communitas autem fidelium in hoc Papam sibi praefecit seu instituit, in nullo tamen iurisdictionem Imperatoris temporalem destruendo vel diminuendo.* Ita quidem de potestate coactiva. Sed et de potestate generatim Primatus audi nunc haec alia prodigia.

Nam paulo post (ibid.): *Dicunt alii, quod Petrus nullam potestatem aut iurisdictionem seu praerogativam aliam super caeteros Apostolos immediate recepit a Christo: et isti nituntur probare quinque conclusiones circa istam materiam, quarum tres recitabo pro nunc: — Prima conclusio est quod B. Petrus ex ordinatione Christi non habuit super alios Apostolos principatum. — Secunda conclusio istorum est ista: Beatus Petrus ex ordinatione Apostolorum habuit super eos principatum. — Tertia conclusio istorum est, quod nullus sacerdos habet super alios potestatem aliquam, tanquam super gregem sibi commissum ex ordinatione Christi; sed omnis superioritas unius sacerdotis super alium in remedium schismatis est propter bonum commune ab ipsis sacerdotibus instituta* (ibid. pag. 880). Quae quidem omnia saepius uti haeretica sunt proscripta.

Quod vero spectat ad praerogativam inerrantiae in fide, has habe tum ipsius Ioannis tum aliorum parisiensium doctrinas (De Confirm. Eccl. in fide, l. c. pag. 885): *Accipiendo Ecclesiam Romanam pro Papa praecise, aut etiam pro Cardinalibus prae-*

cise, non facio pro nunc magnam difficultatem, an Romana Ecclesia possit haereticari vel contra fidem errare: cum de B. Petro legimus, quod a Beato Paulo reprehensus est. Et sic ridiculum hoc argumentum *SOLEMNI nostro Doctori* sufficit, ut quaestio in rem iudicatam transeat.

De Collegio autem Cardinalium etiam pro nunc non facio magnam difficultatem: cum illud Collegium nec sanctitate nec firmitate venerabile Collegium Apostolorum excedat, quod tamen potuit errare et de facto erravit tempore Passionis (ibid. pag. 886). Quae itidem ridicula argumentatio *solemni doctore* dignissima est.

Prosequitur autem : *Utrum Collegium Papae et Cardinalium aut etiam tota mulitudo clericorum Romanorum possit contra fidem errare, diversi* (Parisienses) *diversas protulere, sententias. — Dicunt namque quidam, quod contra fidem non potest errare, saltem haeretice* (ibid. pag. 886).

Dicunt vero alii, quod Ecclesia romana potest errare contra fidem catholicam, nec ipsam errare repugnat Legi Christi nunc currenti (pag. 886).

Libratis autem hinc inde rationibus, sic concludit Ioannes (pag. 888): *Ex istis rationibus patet quod Ecclesia Romana, prout est pars Ecclesiae universalis, possit errare contra fidem. Non tamen dicunt isti, quod stet, quod sit pars aut caput Ecclesiae Universalis et quod simul erret haeretica: sed dicunt quod Ecclesia Romana, quam fatentur esse caput Ecclesiarum, potest, stante lege nunc currente, errare contra fidem. ET ISTA OPINIO APPARET MIHI PROBABILIOR ALIA. IMMO VIX SCIREM SUSTINERE ALIAM OPINIONEM ISTI CONTRARIAM.* Quae quidem ex Alliacensis thesauro deprompta plane apparent.

Quid vero quod (ibid pag. 889) etiam quaestionem proponit, *An congregatio omnium clericorum valeat haereticari?* Et quod deterius est, scholae illius magistros ita de hoc dissentientes exhibet, ut utraque contradictionis pars suos habuerit patronos? Propositae autem obiectioni, quod si tota Clericorum multitudo erraret, *fides catholica posset periclitari*, respondere non dubi-

tat (pag. 891): *Fateor, quod ista ratio non cogit adversarium; quia dicet faciliter, quod quia Christus promisit Ecclesiam non deficere, ideo si omnes Clerici inciderent in pravitatem haereticam, Deus nonnullos laicos etiam illustratos praeservaret, aut saltem aliquem laicum ne ipse laberetur in haeresim, et ille non crederet Clericis haeretice praedicantibus.* En theoremata eximia, e quibus gallicanae theses ceu fructus e radice prodierunt!!

Neque vero hoc satis est; sed ad quaestionem: *An Ecclesia universalis errare possit in fide,* advertit (pag. 893), *non ita evidenter repugnare promisso Christi, totam Christianorum multitudinem errare contra fidem, errore tamen pertinaciae non admixto; quia posset quis dicere, quod stat, fidem catholicam usque ad finem saeculi permanere; et tamen quod omnes christiani errent circa aliquem articulum fidei.*

Sed et vere mirabilia sunt, quae scribit de generalibus Conciliis. Et in primis advertit (pag. 895), *quod secundum quandam acceptionem Concilium generale est congregatio omnium Episcoporum auctoritate Papae vel eius Legati convocata;* verum, ut ipse monet (ibid.) *improprie talis congregatio ab aliquibus vocaretur concilium generale.*

Quaeres: quid igitur nomine Concilii generalis iste intelligat? *Per Concilium generale* (inquit l. c.) *intelligo Congregationem illam, in qua diversae personae, gerentes auctoritatem et vicem diversarum partium et provinciarum totius christianitatis, ad tractandum de communi bono rite conveniunt.*

Et postquam dixit (ibid.) eiusmodi concilium esse convocandum 1.° a Papa, et 2.° si hic sit notorius haereticus, a Praelatis principaliter, et etiam a regibus et principibus; et 3.° minus principaliter, si isti negligant, ab omnibus catholicis; modum etiam tradit seligendi eos, qui congregari in concilium debent: *Inter caeteros modos iste modus mihi videtur probabilis, videlicet de qualibet Parochia vel communitate fidelium, quae faciliter posset simul convenire, mitterentur aliqui vel aliquis, ad Concilium Episcopale, vel parlamentum Regis, vel alterius pu-*

blicae auctoritatis, in casu quo Episcopus congregando Concilio repugnaret: qui sic congregati aliquos eligerent mittendos ad Concilium generale: qui taliter electi a conciliis Episcopalibus vel Parlamentis secularium potestatum, in unum locum convenientes, possunt generale Concilium appellari . . . Ex istis dictis apparet, quod Reges et Principes et nonnulli laici possunt ad Concilium generale, si voluerint, convenire, et Concilii tractatibus interesse. Habes in his, lector, cuiusmodi Conciliis subiectum doctores isti contenderent Romanum Pontificem! Habes haereticas theorias, e quibus gallicanae famosae theses prodierunt. Et siquidem haec in scholis a *magistris et doctoribus solemnibus* tradebantur, quid mirum, quod tot tumultus ac seditiones in Synodis Constantiensi et Basileensi audacissima illa et incondita Baccalaureorum et magistrorum turba per incredibilem proterviam excitaret, ac foveret?

Neque minus abnormia sunt, quae Parisiensis hic *Doctor solemnis* subdit, quaestionem soluturus, *an Concilium generale errare possit in fide.* Audiamus superexcelsam fundatorum parisiensis scholae sapientiam!

Dicunt quidam (inquit pag. 896), *quod Concilium generale potest in aliquid definiendo contra fidem errare.* Et allatis horum rationibus, pergit, (ibid): *Dicunt vero quidem alii, quod Concilium generale de potentia Dei ordinata non potest errare.* Quorum argumenta postquam retulit, suum sic interponit iudicium: *Istae sunt rationes pro* OPINIONE *ista, quod Concilium generale non possit contra fidem errare: et sicut istae sunt difficiles, ita et aliae* (pro priori opinione) *ita difficiles mihi videntur.* Et ita quaestio de Concilii oecumenici inerrantia iam problema evadit, de quo in utramque partem rite controverti possit!

Sed neque istis peiora desunt. Subdit, quaestionem hanc fieri posse de Concilii definitione, 1.° in quam omnes consentiant, vel 2.° in quam consentiat illa pars, quae sufficit aliquod definire vel statuere per modum Concilii generalis. Deinde pro utraque hypothesi duplicem sic refert sententiam.

Primum sic exponit (l. c. p. 838): *Posset aliquis dicere, quod possibile est, Concilium generale errare, ubi tamen non omnes consentirent... quia sicut fides catholica potest remanere in uno supposito, sic etiam fides Concilii generalis potest remanere in uno aut duobus suppositis, et residua pars errare* (et in hisce habes nobilissimam originem opinionis a quibusdam nunc iactatae de moralis omnium Patrum unanimitatis necessitate). *Diceret secundo iste, quod totum Concilium non potest errare contra fidem catholicam, ubi definitioni consentirent omnes in Concilio existentes.*

Secundam vero sententiam sic proponit (ibid.): *Diceret vero alius, quod nullo praedictorum modorum potest errare Concilium generale, sive omnes consentiant, sive aliquibus non consentientibus.*

At enim quodnam iste solemnis Doctor iudicium interponit? Negat nimirum, in quavis hypothesi constare de Concilii inerrantia. Ita ille (l. c.): *Nullum istorum modorum assero. Capiat quilibet modum, qui sibi probabilior et securior videbitur; mihi autem videtur, quod rationes probantes, quod Concilium generale errare possit, sunt valde fortes et difficiles; et maxime prima: nam non recordor me legisse in tota Scriptura sacra, nec ab alio audivisse locum sacrae Scripturae, ex quo possit apparenter concludi, quod Concilium generale non possit errare. Nec potest probari ratione naturali, quod Concilium generale non possit errare, nec in Scriptura authentica legimus, quod istud fuerit specialiter a Spiritu Sancto revelatum. Quare difficile mihi videtur ostendere, qualiter possit concludi, et in quo possit fundari, quod Concilium generale non possit errare: non tamen assero, quod possit errare, sed rationes utriusque partis solvere intendo, ut quilibet viam, quae sibi probabilior et securior videbitur, capiat et eligat.* » Ita *Doctor* in parisiensi Academia Solemnis.

VIII.

Egregia praecedentium systematum consectaria.

Et siquidem parumper intueamur, quo demum harum doctrinarum complexus rem adducat, enimvero tunc magis magisque apparebit, quanta sapientia in oeconomia rerum ecclesiasticarum praescribenda Doctores isti regerentur. Papa iuxta eos errare et haereticari potest; ab huius igitur sententia ad Concilium potest appellari. At enim Concilium, quod ex ordine Episcoporum constat, errare et haereticari potest; ab huius igitur sententia appellatio dabitur ad Concilium *magis proprie generale*, quod nimirum constet ex personis (laicisne an clericis, nihil attinet) ex qualibet Ecclesiae provincia seu dioecesi electis per eos, qui ad comitia e singulis paroeciis convenerint. Sed enim si qui huius concilii patres venerandi ab aliis dissentiant, iam utraque dissidentium pars errare et haereticari potest, quia vera fides potest consistere in uno vel altero supposito. Quid igitur fiat? Denique etiamsi universi isti patres in unum consentiant, iam *utrum errare possint*, quaestio est, circa quam ita probabiles rationes pro utraque parte militant, ut eligere utramlibet citra reprehensionem liceat. Tunc vero ad quem iudicem res deferetur? Nam etsi quis ad totam fidelium multitudinem confugere pro fidei veritate addiscenda vellet, cum sapientissimi isti Doctores statuant, universam quoque multitudinem christianorum in haeresim prolabi ita posse, ut vera fides in paucis pauperibus ac simplicibus rusticis remaneat, idque sufficere, ut promissio Christi Domini de Ecclesiae suae firmitate indefectibili impleatur, proinde iudicium certum et inappellabile nuspiam invenietur. — Ita scilicet ex istorum hominum sublimibus doctrinis aeterna et infinita Christi Domini sapientia Ecclesiae suae prospexit, quo unitas fidei custodiatur!

IX.

Doctor Paris. Iac. Almainus eadem labe infectus.

Caeterum praeclara ista doctrina de Conciliorum auctoritate nequaquam cum laudatis doctoribus extincta est. Ecce tibi Iacobus Almainus, qui saeculo XVI floruit, et inter caeteros a Bossuet (l. c. cap. 8) laudibus effertur, infallibilitatem Conciliorum inter meras *opiniones* recensens. Sic enim ille (De Supr. Potest. etc. cap. 17): *Et sic resolutorie tenendum est,* ÉT EST PROBABILIUS, *quod concilium rite congregatum non potest errare in fide et bonis moribus.*

Insuper ne Almainus quidam recessit ab haeretico systemate, quod statuit, claves seu potestatem iurisdictionis a Christo Domino immediate collatam fuisse ecclesiae, idest christianorum multitudini ; quae deinde potestas insit concilio utpote eamdem fidelium omnium congregationem repraesentanti. Sic ille (op. cit. cap. 16) *Habitum est supra, quomodo potestas ecclesiastica iurisdictionis... est toti Ecclesiae a Christo communicata; quod patet Matth. XVI: si peccaverit in te etc... Ergo ex institutione Christi est Ecclesiae auctoritas communicata iurisdictionis, et per consequens concilio generali Ecclesiam universalem repraesentanti, quia constituitur ex aliquo membro cuiuslibet Ecclesiae particularis.* Allegatio autem Matthaei desumpta est ex Gersone, cuius est haereticum illud glossema. *Christus* (inquit ibid. Almainus) *dedit auctoritatem Ecclesiae per hoc, quod dicit:* Dic Ecclesiae; *et sic, ut bene dicit Gerson, non dicit:* Dic Ecclesiae, *idest praelatis Ecclesiae*; *quia loquebatur Petro; ideo ibidem non capitur Ecclesia pro aggregatione Praelatorum.* Quo glossemate utrum aliud magis ridiculum possit excogitari, sapiens lector iudicet.

Ubi advertendum, postrema illa Almaini verba, *ex aliquo membro cuiuslibet Ecclesiae*, non tam ad Episcopos spectare, quam ad alios, quibus cum sua schola locum in Conciliis tribuit.

Error iste iam elucet, ubi Concilium sic iste definit (l. c.): *Est congregatio,.. ex omni statu ierarchico, nulla persona fideli, petente audiri, exclusa, ad tractandum ea, quae concernunt publicam Ecclesiae utilitatem et mores ipsius.* Quae verba mox explicans, subdit: *Unde in tali concilio debent interesse singuli episcopi; similiter ex parte cleri et curatorum de singulis episcopatibus aliqui debent interesse, et tales habent vicem et auctoritatem deliberandi in Concilio. Deinde dicitur, nulla persona fideli, petente audiri, exclusa ad tractandum ea, quae concernunt Ecclesiam et mores ipsius; et quia ecclesia non potest tota congregari in uno loco, concilium generale repraesentat illam.* Et sic habes heic doctrinam, quae tamquam *falsa, temeraria, regiminis hierarchici subversiva, et favens haeresi Arianae a Calvino innovatae* damnari (Const. *Auctorem fidei* n. 5) promeruit.

Et ex his etiam patet, quam sapienter Tridentina Synodus constanter importunis illorum postulationibus restiterit, qui contendebant, titulo Synodi addendum illud: *Ecclesiam Universalem repraesentans.* Quamquam enim ea verba legitimum aliquem sensum habere possint, quatenus Synodus oecumenica, ad quam vocati omnes Episcopi fuerint, totum *Ecclesiae docentis* seu Pastorum corpus suo capiti connexum repraesentat; veruntamen cum et haereticum exhibuerit sensum, quo ea phrasis ab istis parisiensis academiae magistris usurpabatur, merito reiecta semper ea additio fuit.

X.

Almaino pestis etiam a praecessore Io. Maiori Doctore Paris. propinata.

Illud autem hic non praetermittemus, Iacobum Almainum hanc pestem non ab antiquioribus modo parisiensibus doctoribus, sed etiam ab praeceptore Ioanne Maiori, cuius auditor extitit, miserrime ebibisse. Nam haereticum illud systema,

quod clavium potestatem immediate Ecclesiae a Christo traditam praestituit, *Maior* quoque hic *Ioannes* docuit, et veluti fundamentum solidissimum suo supposuit aedificio. Ita enim ille (De auctoritate Concilii etc. Inter Opp. Gerson. tom. 2, pag. 1133): *Claves non datae sunt Petro, nisi nomine Ecclesiae, et nisi propter Ecclesiam; ergo citius datae sunt Ecclesiae; quia propter quod unumquodque tale, et illud magis.* Quem deinde sensum confirmare nititur quibusdam Augustini verbis, quibus in eundem scopum, scilicet ad formam democraticam inducendam in Ecclesiam, abuti haeretici omnes consueverunt.

Insuper absurdum illud glossema ad Matthaei verba: *Dic Ecclesiae*, quod ex Gersone mutuatum esse vidimus Iacobum Almainum, non neglexit et noster Ioannes Maior; quinimmo ex his Evangelii verbis a Pontifice ad Concilium appellari posse sic studuit, non secus ac Gerson, evincere. *Probatur* (inquit l. c. pag. 1132) *per verba capituli, quod tractamus:* Si peccaverit in te frater tuus etc. *Romanus enim Pontifex est frater noster, habet eundem patrem in caelis nobiscum, et est homo circumdatus infirmitate, sicut alii viatores: quilibet christianus est frater noster. Ergo possumus eum corrigere, et in casu teneremur.* Sibi dein obiicit: *Sed hic dicis: possumus enim corripere in secreto, vel adducendo unum testem vel duos, si peccatum sit iteraturus; sed non possumus dicere Ecclesiae, quia non habet superiorem.* Quid ad haec noster Doctor? Hominis demirare sapientiam! Propter illa verba S. Gregori M. ad Ioannem Cpolit. (Lib. 5, Epist. 18): *Sed si in mea correctione despicior, restat, ut Ecclesiam debeam adhibere;* quibus significat, se demum ad assumendas iudicis partes coactum iri, si fraterna pertinaciter correctio contemnatur. Qua verborum forma etiam S. Nicolaus I. (C. *Praecipue* 3, q. 2, c. XI) excomunicationis poenam intentat Lothario ob pellicem Gualdradam: contra Doctor noster censet controversiam hac mera glossa diremptam: *Ipse Gregorius, qui erat Papa, non intendebat, quod ipse seipsum adiret;* quasi nempe Pontifex causam iudicandam se delaturum ad universae Ecclesiae tribunal minitetur!

Quam deinde doctrinam confirmat mirifico hoc argumento (ibid. p. 1133), quod *ergo Papa est deterioris conditionis, quam alii Christiani, si non potest per Ecclesiam corrigi.* — Insuper (subdit) *per illa verba:* Dic Ecclesiae, *datur potestas toti Ecclesiae, capiendo Ecclesiam pro Praelatis maioribus, sive pro Concilio generali totam Ecclesiam repraesentanti, quia pluraliter subiungitur: Quaecumque alligaveritis super terram etc.* Quibus verbis, uti patet, denuo haereticum illud inculcatur systema, quod clavium potestatem universae fidelium congregationi traditam, eamque membris ad Synodum congregandis committi exercendam statuit.

Dixi autem argumentum, ductum ex cap. XVIII Matthaei, a Gersonis thesauris depromptum fuisse; sed addendum, ex verbis illis Matthaei iuxta miram Gersonis sapientiam aliquid ulterius extundi, nimirum ex verbis *Dic Ecclesiae* insuper argui, Pontificem Romanum saecularibus legibus poenisve subiiciendum. Sic enim Gerson (De modis uniendi etc. Opp. tom. 2, pag. 167): *Cum ergo praeceptum Christi dicat:* Si peccaverit in te frater tuus etc., *cum ergo Papa sit meus frater, et proximus in natura et in Christi fide..., corripiendus est iuxta processum praecepti Christi. Non ergo illud Decretum est tenendum, quod Papa a nemine sit iudicandus: quia actiones voluntariae, transeuntes in incommodum et iniuriam alterius, refrenari debent; et talium mensura est lex humana, et ad illum finem leges ipsae per ora Principum divinitus prolatae fuerunt: nec est Papa maior Christo, vel Petro, caeterisque Apostolis, quos legimus saepius subfuisse potestati coactivae et iurisdictioni Principum saeculi realiter et personaliter.* Quam in rem sermonem deinde instituit De summa Romanorum Imperatoris auctoritate (ibid. p. 178), et Othonem Imperatorem miris exornat laudibus, quod Ioanne XII ab Urbe fugato, Antipapam Leonem (barbarico facinore) Sedi Apostolicae imposuerit, et deinde Benedictum V, quem demortuo Ioanni, Romani, Antipapa Leone contempto, suffecerant, in exilium secum in Germaniam abduxerit.

XI.

Hinc arma haereticis suppeditata, et haereticum Richerii systema.

Sed de auctoribus Gallicanae istius scholae iam satis. Illud interim omnino sedulo considerandum nobis est, ea omnia, quaecumque hucusque ex Parisiensi hac schola exposuimus, illa prorsus esse, quae in antecessum damnata in haereticis fuerant; illa prorsus esse, quibus tanquam validissimis armis Lutherus, Calvinus et horum asseclae adversus Romani Pontificis primatum ac potestatem, adversus Romanam Ecclesiam, adversus denique catholica Concilia et horum auctoritatem pugnarunt (inspice apud Bellarminum, quae haeretici adversus quodlibet caput catholicae de Romano Pontifice aut Conciliis doctrinae obiicerint); denique ea omnino esse, quibus Edmundus Richerius doctor Sorbonicus haereticum suum systema compegit.

Sic enim illud ipseme proponit in propositionibus, quas in tertia sua palinodia reprobavit.

Prop. 1. *Christus suam fundando Ecclesiam, prius, immediatius, et essentialius claves seu iurisdictionem toti dedit Ecclesiae, quam Petro et aliis Apostolis.* De qua dein subdit: *Hanc propositionem doctrinae catholicae a sanctis, vetustisque Patribus expositae adversari, libenter fateor. Asserunt enim, Christum claves iurisdictionis Ecclesiasticae primo, immediate, et essentialiter, non per accidens Petro dedisse: deinde per S. Petrum Ecclesiae Praelatis contulisse.*

Prop. 2. *Tota iurisdictio ecclesiastica primo, proprie, et essentialiter Ecclesiae convenit. Romano autem Pontifici, atque aliis Episcopis instrumentaliter, ministerialiter, et quoad executionem tantum.* De ista vero hoc addit: *Hanc propositionem seu potius haeresim ex putidis Lutheri et Calvini fontibus me hausisse non diffiteor, qui ambo impie falsoque contendunt, proprie et immediate iurisdictionem Ecclesiae fuisse datam a Christo,*

non S. Petro, aliis Apostolis et Episcopis nisi per accidens, instrumentaliter, et nomine Ecclesiae.

Prop. 3. *Christus non tam uni Petro, quam unitati infallibilem clavium potestatem detulit.* De qua statim subiicit: *Hunc meum errorem cum Divo Bernardo moerens detestor.*

Prop. 4. *Status Ecclesiae ab eiusdem regimine distinguitur. Status enim monarchicus est... Regimen vero aristocraticum.* Quae quidem, uti patet, referuntur ad potestatem ferendi leges per congregatos Primates condendas, quibus et Princeps constringatur. *Ego quidem* (pergit Richerius) *in hac propositione me graviter errasse fateor, multa inepta, planeque haeretica dicendo.*

Prop. 5. *Petrus claves iurisdictionis accepit a Christo Domino, non pro se, sed pro Ecclesia, et nomine totius Ecclesiae, non ut Pastor oecumenicus et princeps, sed ut minister tantum et executor decretorum Ecclesiae.* De qua immediate subdit: *Haec sane propositio redolet haeresim Ioannis Hus, qui asserere praesumpserat, Papam non esse caput Ecclesiae, nec claves accepisse, nisi nomine illius.*

His addenda alia propositio est, qua statuebat (Conf. Tarquin. Iuris. Eccl. Instit. Lib. 2, cap. 3, §. I, n. 7), *Praerogativam infallibilitatis toti Ecclesiae* (quo nomine populum seu coetum fidelium semper intelligit) *fuisse collatam; ac proinde Romanum Pontificem ante assensum Ecclesiae in doctrina fidei atque morum non esse infallibilem.* Quae quidem sententia etiam in praemissa tertia propositione innuitur.

Porro asserit quidem Richerius, se quandam ex praemissis propositionibus a putidis Lutheri et Calvini fontibus hausisse; at manifestum simul est, easdem prorsus omnes in doctrinis, quae superius exposuimus, magistrorum parisiensium contineri. Quin et ipse Richerius sincere id aperuit ac fassus est, cum in prima sua palinodia haec scripsit: *Semper prae me tuli atque etiam nunc prae me fero, nullo alio unquam animo, proposito, consilio, aut cuiusquam hortatu vel suasione, me libel-*

lum de ecclesiastica et politica Potestate anno millesimo sexcentesimo undecimo scripsisse, quam ut breviter demonstrarem, QUAENAM ESSENT PRINCIPIA DOCTRINAE MAIORUM SCHOLAE PARISIENSIS.

XII.

Hinc praestitum Vigorio, Launoio et Dupinio praesidium.

Sed et alios doctores Sorbonicos parisiensis huius scholae principiis in transversum actos fuisse, notissimum est. In his fuit Simon Vigorius, qui doctrinas Richerii defendendas assumpsit. Et exprobratum quidem Vigorio fuit (Vid. Feller *V. Vigor Simon*) quod opus suum, ea consarcinando perfecerit, quae ex haereticorum libris et praesertim ex *Ioannis Calvini Institutionibus* expilaverat. Attamen (Vid. Andream Duvallium de infallibilitate Rom. Pontificis Quaest. IV). Vigorius reipsa doctoribus, quos parisiensis Scholae ornamenta vocat, accepta referebat argumenta, quibus Sedis Apostolicae praerogativas impugnabat. Alioquin vero duo haec testimonia facile conciliantur; quippe cum Calvinus arma ex eisdem illis parisiensis scholae doctoribus mutuatus fuerit, patet illico, cur Vigorius eadem illa e Calvini scriptis surripuisse putaretur. Et sane ipsemet Vigorius se Scholae parisiensis duces habuisse plane asserit, ubi contendit, Christum Lucae XXII *(Rogavi pro te etc.) pro Ecclesia, non pro Petro immediate rogasse.* Porro absurdam hanc et haereticam interpretationem superius vidimus doctorum illorum Parisiensum propriam extitisse.

Quid vero de Dupinio dicemus, quid etiam de Launoio illo, in cuius venenatis libris, tamquam in latenti quopiam promptuario etiam quidam dierum nostrorum scribae arbitrati sunt, copiam se omnigenam fortunate reperisse, qua in aciem contra Romanae Sedis prerogativas prodeuntes, eam iam et doctrinae supellectilem, atque eruditionis pompam ostentare possent, ut impune sibi liceret graculi semet pavonis pennis exornantis facinus instaura-

re? Numquid non utrique huic Galliarum pesti solemne fuit, ornamenta illa veteris parisiensis Scholae perpetuo iactare, laudibusque ad sidera attollere, eadem adversariis opponere, seque suasque adversus Romanam Sedem machinationes illorum doctrinis tueri? Nonne Dupinius idcirco opus illud aggressus est, quod summas ei laudes gratulationesque ab heterodoxis promeruit, scilicet ut pleniorem splendidioremque editionem curaret operum Ioannis Gersonis, inque ipsam infarciret, quotquot ex eadem Schola in eadem, ac Gerson, absurda pedem misere impegerant?

Denique quis ignorat, turbulentissimam ac perfidissimam Iansenianorum factionem, potissime horum principiorum praesidio obstinatissimae illi protervia et sempiternae adversus Apostolica decreta rebellioni nullum unquam imposuisse finem, tum etiam nihil studii, et curarum, et operis praetermisisse, quo eorumdem principiorum virus scholas, librosque omnigenos inficeret, et late quaquaversus diffunderetur?

XIII.

Cuiusnam Scholae praeiudicia videantur abiicienda.

Quae cum ita sint, ut aliquid demum concludamus circa propositam ab A. G. conditionem de abiiciendis Scholarum praeiudiciis, tantisper iam morem ipsi geramus. Fingamus parumper, praeter haereticam duas alias scholas extitisse; fingamus Scholae nomen tribui aliquatenus illis posse, si qui veterum, quos innuimus, magistrorum parisiensium theoriis adhaeserint, aut etiamnum forte adhaereant; fingatur duplex inter catholicos Schola.

Duplex, inquam; nam quod nunc v. gr. per Germaniam, ubi haud raro philosophicae scholae potiusquam recta ratiocinandi methodo, solidisque principiis iuvenum imbuant mentem, hanc partim chimaericis, partim etiam absurdis et impiis confundunt phantasiis; tum vero Theologiae proprie dictae studia partim levissime attinguntur, partim magistrorum librorumve ad *ratio-*

nalismi barathrum, aliasve labes declinantium corrupto pabulo aluntur, quod per Germanium (inquam) quidam forte reperiantur, qui putrefactas ac foetentes aliquas haereticorum seu Iustini Febronii merces e sepulchro a quopiam sycophanta erutas non modo ipsi caeca fide recipiant, sed veluti cimelion quoddam vulgo incompertum adepti, sibi inaniter superbiant, et quasi ipsi soli novae huius lucis singulari beneficio potiantur, aliis quasi inter tenebras caecutientibus ridiculo fastu suas merces sub nomine nunc philosophici nunc theologici, nunc historici criticismi (in quo potissime criterii relucet inopia) venditare instituant; illud sedulo caventes, ne alia praeter patriam lingua utantur, quo scilicet ab imperito popello facilis triumphus atque ingens a garrulis diariis encomiorum seges sibi non desit; hi profecto non scholae alicuius speciem praeferunt, sed quarumdam sine aqua nubium, quae circumferuntur a ventis, ac cito dispereunt.

Quaeramus itaque, utra duarum, quas catholicorum fingimus, scholarum prudentem aliquam suspicionem sui iniiciat, adeo ut timendum videatur, ne eius discipuli seu asseclae affectu quopiam seu praeiudicata opinione potius, quam rationis ductu in suam cuiusque sententiam pertrahantur.

Et quod ab scholam attinet, quam *catholicam* prae *haeretica* diximus (et iure in huiusmodi quaestione dicemus *catholicam*, quia quoad Romani Pontificis magisterium semper et universim haec Christifidelium persuasio fuit tum theoretica tum practica) praeiudicatae opinionis suspicionem vel hoc unum potest et debet repellere, quod et theoretice et practice semper ita senserint Christi fideles lumine fidei collustrati, et lacte catholicae Ecclesiae enutriti: quod ita senserint omnes Sancti: quod ita docuerint universim cuiusvis aetatis Doctores, qui de hoc argumento sermonem instituerunt. *Catholici omnes*, inquit Thomas Waldensis; *Doctores omnes*, inquit Suarez. Porro quisquis vereatur, ne Sancti omnes, ne omnes Doctores caeco praeiudicio, aut affectu, quem ratio non direxerit, e recto veritatis tramite aberraverint, eo ipso iste sane ostendit, se ad res seu philosophicas seu theologicas pertractandas natum non esse, velumque sibi obductum esse

quoad illud lumen, de quo scriptum est: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.*

Nunc vero de ea, si qua fingi potest, schola parisiensi, quam alii gallicanam appellare maluerunt, sed quam prorsus immerito vel parisiensem vel gallicanam semet iactare ostendemus.

Quaeramus igitur: Estne, cur suspecta videri haec schola possit? Estne, cur fatua quorundam nominum seu hominum luce hallucinatos, aut cupidine captandi dominantium gratiam abductos, aut falsi honoris ambitu abreptos, aut misere constrictos horrore dignitatis existimationisve per veteris erroris confessionem amittendae, aliquos huius scholae asseclas putare liceat?

Profecto 1.° si aetatem quaeras, qua istiusmodi opiniones praerogativis Romanae Sedis adversae prodierunt, merito in mentem vetustissimum illud veniet: *Sero venistis: quod recens, quod novitium, hoc falsum.*

2.° Si praecessores eam doctrinam professos requiras, haereticos et nonnisi haereticos habebis.

3.° Si causam quaeras, quae homines sincero alioquin animo catholicos ad pessimum hoc, desperatissimumque consilium coniecerit inauditas illas absonasque opiniones excogitandi; illos reperies, qui postquam inconsultissime pseudopapam Clementem exceperunt, tuerique instituerunt, atque adeo funestissimum schisma in catholicam Ecclesiam induxerunt, propriae conditionis obliti (neque enim privatis hominibus, utcumque Baccalaurei, magistri, Doctoris, Syndaci, aut etiam Cancellarii honore in Academia parisiensi fulgentibus, Ecclesiae Auctor Christus hanc provinciam commiserat) et semet ad clavum Ecclesiae tenendum inaniter vocatos existimantes, ut remedium aliquod tot malis a se inductis afferrent, pontificesque a se inconsulto multiplicatos e medio tollerent, ad iam memoratas theorias, quibus vel supremam in Ecclesia dignitatem sibi subiugarent, absurdissime confugerunt.

4.° Si tunc in medium productas theorias in se inspicias, systema habes in se haereticum et multiplicibus haeresibus scatens.

5.° Si quaeras, quinam systema illud ac theorias plausu exceperint, adoptaverint, promoverint; universos per Germaniam, Gal-

liamque, et Helvetiam invenies haereticos. Si vero quinam e catholicis eidem sytemati adhaeserint, Richerios habes, Vigorios, Febronios, et si qui sunt alii, haeresis titulo reprobatos, et palinodiam deinde cantantes.

6.° Si de thesibus, quae nunc in controversiam veniunt, speciatim requiras, quo illas fundamento primi Auctores superstruxerint; eas invenies, aut mere ceu partes exhiberi haeretici systematis, aut certe miserabili sophismate nixas. *Sophismate*, inquam: audiamus enim Iacobum Almainum: iste totam aedificii molem paucis hisce extruit (de Supr. Potest. Eccl. Cap. 16): *Potestas, quae est in supposito deviabili, debet dirigi secundum potestatem indeviabilem; sed quilibet Papa est deviabilis, et Concilium generale rite congregatum est indeviabile. Ergo.* Mittamus nunc, quod iuxta haereticum suum systema *Concilium rite congregatum* Almaino sit turba hominum a plebe christiana ad id officii deputatorum; mittamus quod corporis sine capite monstrum nobis, velut Concilium rite congregatum, vendere velit; mittamus et illud, quod *indeviabile* nunc Concilium dicat, quando etiam Concilii infallibilitas ex ipsius item absurdissima sententia limites merae opinionis non excedit. Missa nunc ista fiant; inspiciamus ratiocinium. *Papa* (inquit) *est deviabilis*. At enim dicitne de privato personali eiusdem errato, an de proposita a Pontifice fidei definitione? Si postremum hoc dicit, turpi principii petitione id supponit, de quo est quaestio. Si primum, ad rem non facit. Et nihilominus ecce tibi Auctor defensionis Decl. Cler. Gall. (Part. 1, Lib. 1, cap. 6) ex hoc Almaini loco elegantissimas *deviabilis* et *indeviabilis* voces arripiens, imo et liguriens, et dum dissimulat haereticum, cuius sunt membra, systema, eas ceu tesseram parisiensis scholae iactans!

7.° Si vero recentiores scruteris, an aliquid novi pro iisdem thesibus attulerint; deprehendes cito, quidquid supellectilis proavis suis addiderunt, totum id ex Luthero, Calvino, Centuriatoribus Magdeburgensibus, aliisve haereticis expilatum fuisse, et a catholicis Doctoribus centies refutatum.

8.° Si autem inquiras, quinam deinde eidem causae adiutores potissimi, et defensores, et propagatores accesserint, praesertim iansenianos perfidia notissimos invenies: quos quidem lupos hypocrisi insignes cum e medio dominici gregis eliminare ac prorsus abigere nunquam contigerit, eorum maxime artibus, ac fraudibus debemus, quod calamitate patribus nostris plane incomperta, tam saepe et hibrides scholas, hibridesque libros tum theologicos tum philosophicos, tum historicos fidelium manibus teri cernamus.

9. Si demum quaeras, undenam solemne aliquale illis thesibus suffragium semel acciderit; recole praepotentis regis historiam; recole homines, quorum animos illud maxime occuparet et sollicitaret, quod in Proverbiis Salomonis (XVI, 14, 15) legimus: *Indignatio regis, nuntii mortis, . . . in hilaritate vultus regis, vita;* et facile intelliges, cur poeta ad eos inclamaverit:

Prélats, abbés, séparez-vous;
Laissez un peu Rome et l'Église!
Un chacun se moque de vous;
Et toute la Cour vous méprise.
Ma foi! l'on vous ferait avant qu'il fût un an
Signer à l'Alcoran [1].

Et haec quidem satis esse possunt, e quibus coniiciatur, num praeiudicata aliqua opinione in praesenti negotio illi forte ducantur, qui infallibilitatis praerogativam potiusquam Vicario Christi Domini, Apostoli Petri successori, ac fidei magistro per Christum constituto, hanc haeretici systematis auctoribus, Ioanni Gersoni ac Petro Alliacensi et somniatae gallicanae scholae tribuendam censent.

1 Citatur a Gérin, *Recherches histor.* sur l'Assemblée du Clergé de France, de 1682, pag. 279.

XIV.

Adversus inerrans Rom. Pontificis magisterium, falso gallicana schola, falsius gallicana Ecclesia iactatur.

Quandoquidem A. G. tantopere a praeiudiciis scholarum timet, ad mentes autem praeoccupandas, praeiudiciumque haud leve ipsis ingerendum plurimum valet auctoritas, tum si ea adesse putetur, quae non adest, tum si magni esse ponderis ea, quae est levissimi, existimetur; pretium operae idcirco erit ostendere, pro thesibus (sic dictis) gallicanis et falso iactari gallicanae seu scholae seu Ecclesiae auctoritatem; si quorum autem suffragium promitur, hoc nullius reipsa esse ponderis, ac porro contemnendum.

Et quoad veterem gallicanam scholam, audiatur Doctor Sorbonicus Andreas Duvallius contra Richerium et Vigorium scribens (De Suprem. Rom. Pont. potest. Part. 2, Q. 2): *Velint nolint adversarii, liquido constat, veteres Ecclesiae Gallicanae proceres hanc in Summis Pontificibus, Petri successoribus infallibitatem semper agnovisse, Christique Domini orationem in Petro non stetisse, sed ad eius successores certissime transiisse: eosque, qui veritatem hanc impugnare conati sunt, a ducentis aut circiter annis, quibus in Ecclesiam horrenda schismata irruerunt, caepisse.*

De his autem, et posterioribus ista habet (ibid. Q. 4, in fin.): *Ioannes Gerson, Iacobus Almain, et Ioannes Maior, celebres scholae Parisiensis Doctores cum nonnullis aliis privilegium infallibilitatis Pontifici derogarunt. Sed illud ei concesserunt alii multo celebriores . . . ; itemque Doctores illi, qui in Comitiis Scholae generalibus errores De Malesono condemnarunt his verbis:* Ad sanctam Apostolicam Sedem pertinet, auctoritate iudiciali suprema, circa ea quae sunt fidei, iudicialiter definire. *Quo fit, ut inique Vigorius me tamquam scholae Parisiensis desertorem et veluti perduellem scripsit suis traducere et proscin-*

dere praesumat, praesertim cum, ut in Elencho contra Richerium aperte significavimus, nihil quicquam a Facultate Parisiensi contra Pontificis infallibilitatem unquam sit definitum.
Quinimmo de Parisiensi Academia (Op. cit.) haec addit: *Laudabilis in Academia Parisiensi viget consuetudo, qua Baccalaurei de Quaestionibus theologicis solemniter responsuri, protestationem praemittunt, se nolle quidquam contra decreta S. matris Ecclesiae nec non S. Sedis Apostolicae asserere aut defendere; et si quid adversus eius Decreta in aestu disputationis illis exciderit, vel ignorantiae, vel immemoriae, vel linguae praecipitantiae attribuendum velle.*

Neque aliter habet Theophilus Raynaudus in opere adversus Iansenianos cum titulo αὐτὸς ἔφα. Enumeratis enim quamplurimis ex schola Parisiensi Doctoribus, pergit: *Quotquot ante Concilium Constantiense floruerunt, possent omnes theologi produci; nam non nisi a tempore Concilii Constantiensis et Basileensis revocata est in controversiam haec veritas apud catholicos; sed omnes unanimiter docuerunt, definitiones Pontificias etiam absque Concilio generali editas facere rem de fide.*

Communem autem hanc doctrinam extitisse in Galliis saeculo XVII sic testatur Mauclerus, Doctor Sorbonicus in Libris de Monarch., Gregorio XV et Ludovico XIII dicatis (Part. 2, lib. 4, cap. 4): *Haec, illa communis sacrae sapientiae professorum, quae docetur in scholis, assertio: disceptationum, causarumque de fide cursum motumque, Romani Pontificis in Cathedra Petri sedentis consopitum iudicio finiri.*

Iuverit autem et testimonium subiicere, profecto non suspectum, Archiep. Parisiensis Petri De Marca. Quippe scribens *observationes ad Theses Collegii Claramontani S. I. an. 1660*, inter quas et ista defendebatur: *Christum ita caput Ecclesiae agnoscimus, ut illius regimen, dum in caelos abiit, primum Petro, tum deinde Successoribus commiserit, et eamdem, quam habebat ipse infallibilitatem concesserit, quoties ex Cathedra loquerentur. Datur ergo in Ecclesia Romana controversiarum fidei iudex infallibilis etiam extra Concilium generale, tum in*

quaestionibus iuris, tum facti; ista habet (n. 23): *Haec opinio* (scil. de infallibilitate Papae) *est illa, quam unice Hispania, Italia, aliaeque omnes Christianitatis provinciae docent ; ita ut illa, quam sententiam Parisiensium Doctorum* (paucissimorum) *vocant, ad classem eorum opinionum revocanda sit, quae solum tolerantur... Auctoritas* (ibid. n. 31) *infallibilem sententiam in causis fidei pronunciandi est Romanis Pontificibus omnium universitatum consensu acquisita, excepta tamen antiqua Sorbona. Imo hoc quoque tempore hanc de infallibilitate Pontificis sententiam in ipsa Sorbona doceri videmus. Nam 12 Mensis Decembris anno 1660 in Sorbona publice haec thesis defensa est, videlicet:* Romanus Pontifex controversiarum ecclesiasticorum est constitutus iudex a Christo, qui eius definitionibus indeficientem fidem promisit. *Eandem thesim in Universitate Navarica septima Decembris propugnatam scimus.* Et infra (n. 34) de Galliae Doctoribus idem De Marca haec tradit: *Pars maior non solum Theologiae, sed etiam Iuris Doctorum communi opinioni adhaerent, utpote fundamentis nixae solutu difficillimis, ridetque antiquae Sorbonae opiniones.*

Ut autem a pluribus in eam rem afferendis supersedeam, illud unum sufficiat memorasse, vel ipsum Richerium hanc doctrinam in retractando errores suos professum fuisse; ut enim manifestissimum est, nunquam hunc tetigisset articulum, nisi ex communi sententia etiam Parisiis catholicae fidei professio necessario id exegisset. Sic itaque ille: *Ego Edmundus Richerius... Doctor Sacrae facultatis Theologiae Parisiensis, et Magnus Magister Collegii Cardinalitii Universitatis Parisiensis subsignatus... hic protestor et declaro, me semper voluisse, atque etiam nunc velle et me ipsum, et libellum praefatum, et quascumque eius propositiones earumque interpretationes, omnemque meam doctrinam Ecclesiae Catholicae Romanae et sanctae Sedis Apostolicae iudicio subiicere, quam matrem et magistram omnium Ecclesiarum, et* INFALLIBILEM VERITATIS IUDICEM AGNOSCO.

Concludamus igitur, pro opinione infallibilitati pontificiae adversa falso iactari Parisiensis seu Gallicanae Scholae auctoritatem.

Quod si aliquando in eam opinionem vetus Sorbona concessit, quod hinc praesidium quaeritur prorsus inane dicendum est; nam et ipsorum Galliae Doctorum (prouti inquit De Marca) *maior pars ridet antiquae Sorbonae opiniones.*

Et sane quid, quaeso, valeat suffragium hominum, qui in eam sententiam per inauditas, abnormes, et haereticas absurditates devenerunt, prouti reipsa eo devenisse illos iam vidimus? Bene de his Andreas Duvallius (Op. cit. Part. 2, c. 1,) *Scio in re Pontificia Alliacensem, Gersonium, et Almainum non esse tantae auctoritatis: quia tempore schismatum floruerunt et scripserunt duo priores, quando tres se pro Pontificibus gerebant: postremus vero, nempe Almainus, tempore Iulii II. et Conciliabuli Turonensis, quo Gallia sub Ludovico XII a Sede Apostolica defecerat.*

Eos autem hanc solum ob causam in transversum actos fuisse, inde palam fit, quod omnino aliter animo tranquillo et senserint, et scripserint. Equidem Petrus Alliacensis Avenionem profectus, ut apud Clementem VII (quem ceu verum Pontificem habebant) causam ageret adversus Ioannem de Montesono, sic suo et totius Parisiensis Universitatis nomine Clementem alloquitur: *Igitur pro vestris humillimis filiis Universitatis praedictae et pro nobis eorum nunciis, qui suis in hac parte obsequimur mandatis et documentis innitimur, corde et ore unanimiter protestamur, quod quidquid hactenus in hac causa actum est, et quidquid in ea nunc vel alias acturi aut dicturi sumus, correctioni et iudicio Sedis Apostolicae et sedentis in ea Summi Pontificis humiliter submittimus, dicentes cum B. Hieronymo: Haec est fides, Pater Beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, in qua si minus perite aut minus caute aliquid positum est, emendari cupimus a te, qui Petri fidem et sedem tenes. Non ignoramus enim, sed firmiter tenemus, et nullatenus dubitamus, quod Sancta Sedes Apostolica est illa cathedra Petri, supra quam fundata est Ecclesia . . .: de qua Sede in persona Petri dictum est:* Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. *Haec est igi-*

tur, ad quam determinatio fidei, et approbatio veritatis Catholicae, et haereticae impietatis detestatio maxime pertinet.

Et Gerson (Serm. De Pace et unit. Graecor.) cum adversus Graecos et Wicleffitas ageret, ex eo quod ad solum Rom. Pontificem pertinet de rebus fidei decernere, haec infert. *Itaque ad Pontificem Romanum oportet in rebus fidei provocare. Consonat ratio: quia sicut ad unam fidem et ad eadem sacramenta obligantur omnes viatores, sic oportet, ut non esset schisma,* REDUCTIONEM FINALEM FIERI AD UNUM SUPREMUM. *Quamvis enim principale caput, et tamquam essentiale sit Deus, in carne humana caput Ecclesiae Christus; voluit tamen constituere caput secundum, tamquam vicarium, quod in his inferioribus esset, et hoc caput vocamus Papam, Patrem nostrum sanctum, qui est verus et solus Christi Iesu Vicarius: alioquin facile Ecclesia laberetur in divisionem, nisi esset ei caput quoddam principale et summum, ad quod potest et debet fieri recursus.*

Quid vero, quod Gerson aberrationes, in quas inconsultus ardor extinguendi schismatis ipsum impulerat, demum et ipse abiecit?

Sane Martinus V, cum audisset Legatos Poloniae, ad Concilium Costantiense missos, appellare velle ad futurum Concilium, in publico Consistorio, die 2 Martii anni 1418, Constitutionem edidit, qua declaravit: *Nulli fas esse, a Supremo iudice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice, appellare, aut illius iudicium in causis fidei, quae tamquam maiores ad ipsum et Sedem Apostolicam referendae sunt, declinare.* Legatis vero appellationem, Sessione XLV, prosequi volentibus, idem Martinus silentium sub poena excomunicationis imposuit (apud Schelestratem, Diss. III, cap. IV). Quibus, ut patet, cassata sunt, quaecumque sensu opposito eadem Synodus, prius manca et acephala, tumultuarie statuerat.

Quid porro ad haec Gerson? In Tractatu, quem deinde scripsit cum titulo: *An liceat in causis fidei a Summo Pontifice appellare etc.* de praedicta Martini V Constitutione sic quaestionem instituit: *Quaeritur, utrum haec assertio sit catholica, tam iure divinitus promulgato, quam etiam humano, quibus SS. Canonum*

auctoritas innititur: Nulli fas est a supremo Iudice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice, Iesu Christi Vicario in terris appellare, aut illius iudicium in causis fidei, quae tamquam maiores ad ipsum et Sedem Apostolicam deferendae sunt, declinare. — *Arguitur, quod sic, auctoritate SS. Domini Nostri Martini Papae V in sua Constitutione ad perpetuam rei memoriam facta et promulgata in Consistorio Generali celebrato Constantiae VI Idus Martii Pontificatus sui anno primo, ubi reperitur haec assertio, et videtur in Canonum littera fundari.* — Post haec subdit utique Gerson varia argumenta, sequelas, et propositiones contra praecedentem responsionem suam; attamen de his omnibus demum concludit: *Haec autem dicta vel argumentata sunt magis ad veritatis inquisitionem, quam ad alicuius, praesertim SS. Domini Martini Papae, reprehensionem; attento quod Constitutio sua, quantum ad illa, quae fundantur in facto, non iacet sub theologica reprehensione.* Exinde in Dialogo, cuius interlocutores Volucer et Monicus: *Nolo* (inquit) *Monice de SS. Domino nostro et Christo Domino, velut os in caelum ponendo, loqui.*

Et haec satis de Gallicana seu Parisiensi Schola. Nunc de Gallicana Ecclesia.

Falso itaque, et per atrocem in Galliae ecclesias calumniam *theses*, quas abusive *gallicanas* nuncupant, proponi tamquam doctrinam gallicanarum ecclesiarum propriam, facili negotio conficitur; si qua enim in hoc difficultas apparet, inde est, quod ex immensa luculentissimorum monumentorum segete, nescias, quaenam praeterire debeas. Perpauca nobis hic licet afferre; ea porro seligemus, quae pluribus aequivalent.

Pluribus porro aequivalent, qui de se, deque aliis simul testantur. E quibus Tolonensis Episcopus et Regis consiliarius 28 Aug. 1718 in Edicto circa Constitutionem *Unigenitus*, sic suum gregem affatur. *Nos inviolabiliter adhaerebimus Sedi S. Petri. In Romana Ecclesia sunt principalia Orthodoxorum dogmatum fundamenta: illic est domicilium veritatis, centrum unitatis . . . Nonne qui ab hac seiungi audet, ad suum ruit in-*

teritum? Nos quidem hoc loco non ex nobis ipsis loquimur. . ., sed verbis ac sensibus Patrum Ecclesiae, Conciliorum, et Episcoporum Galliae utimur.

Et Petrus De Marca (Concord. etc. in Admonit. ad Lector.): *Auctoritas Romanae Sedis per Occidentem, ipsasque Gallias extenditur; quae illi integra vindicatur, tum in legibus ferendis . . . , tum in iudiciis sine provocatione reddendis . . . Deinde dicetur, immunem esse Romanum Pontificem ab inferiorum iudicio. Eam Sedis Apostolicae dignitatem Gallos officiis suis semper excoluisse.* Et Lib. 1, c. 2: *Commune hoc officium . . . cui impendendo cum caeteris provinciis Gallia obstringitur, cognoverat ante omnes vetustissimus ille Lugd. Antistes Irenaeus, qui unus scripsit, quod omnes sentiebant.* Ad Romanam (*inquit*) Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam; *quasi diceret. . . , eam esse vim unitatis, quae principium et originem a Petri Sede trahit, ut cum ea sentiendi necessitatem caeteris imponat.*

Nunc ad Concilia, quae per se plures testes nobis sistunt. Et non incongrue memorari hic possunt Oecumenicae, quae in Galliis habitae sunt, Synodi, utpote quae frequentissimis ex Gallia Episcopis constabant.

Occurrit itaque Cap. *Pro Humani de Homicid. in VI*, quod in Lugdunensi Concilio an. 1245 tulit Innocentius IV, et sic se habet: *Pro humani redemptione generis de summis caelorum ad ima mundi descendens, et mortem tandem subiens temporalem Dei Filius Jesus Christus, ne gregem sui pretio sanguinis redemptum, ascensurus post resurrectionem ad Patrem, absque pastore desereret, ipsius curam B. Petro Apostolo, ut suae stabilitate fidei coeteros in Christi Religione firmaret, eorumque mentes ad salutis opera suae accenderet devotionis ardore, commisit.*

In secunda autem Lugdunensi Synodo oecumenica an. 1274, recepta et unanimi omnium suffragio comprobata fuit fidei professio a Graecis per Imperatoris litteras transmissa, in qua ista leguntur: *Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum et*

plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet: quam se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere; sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo DEBENT IUDICIO DEFINIRI.

Et in oecumenico Concilio Viennensi an. 1311 Clemens V. haec statuit (Clement. De Sum. Trinit. Et fid.) *Nos igitur ad tam praeclarum testimonium, ac SS. Patrum et Doctorum communem sententiam, Apostolicae considerationis* (AD QUAM DUMTAXAT HAEC DECLARARE PERTINET) *aciem convertentes, et sacro approbante Concilio, declaramus etc.*

Huc revoca et Martini V, dum ageretur Constantiensis Synodus, Constitutionem, quam paulo superius descripsimus. Nam huic quoque Synodo frequentissimi adstabant e Gallia Praesules; nec tamen vel unus inventus est, qui reclamaret, utut enormibus Gersonis paradoxis adhuc aër resonaret.

Ecclesiae igitur Galliarum, quarum Pastores hisce Decretis plenissime consentiebant, eo ipso istas pseudo-gallicanas theses condemnabant.

Sed praestat aliquid delibare ex Conciliis Gallicis posteriorum temporum; postquam et Gersones, et Alliacenses cum quibusdam eorum assectis illa opinionum portenta invexerant.

Anno 1527 Concilium Senonense celebratum est, praeside Senonensi Archiepiscopo. Sexdecim in eo decreta edita sunt contra Lutheri haereses, in quorum altero, ubi de Sedis Apostolicae auctoritate, haec habentur: *Universos, qui aliter quam Romana credit et docet Ecclesia, credere et pertinaciter asserere tentant, eiusdem Concilii auctoritate velati haereticos et pertinaces a Communione Fidelium declaramus separatos.*

Concilium Melodunense an. 1579 hoc emisit decretum: *Operam dabunt ii, quibus haec cura demandata est, Episcopi scilicet et eorum Vicarii, ut in omnibus Synodis omnes et singuli tam clerici quam laici amplectantur et aperta professione eam*

fidem pronuntient, quam Sancta Romana Ecclesia, Magistra, Columna, et Firmamentum veritatis, profitetur et colit; ad hanc enim propter suam principalitatem oportet omnes convenire ecclesias.

Anno 1626 Synodus peracta est parisiensis, in qua Ecclesia Gallicana Romani Pontificis infallibilitatem diserte profitetur, inculcatque art. 137, cui titulus: *Monita Conventus Generalis Cleri Gallicani ad DD. Archiepiscopos, et Episcopos huius regni.* Ut autem brevitatis causa plura omittamus, ista notentur: *Hortamur igitur Episcopos omnes, ut Sacram Apostolicam Sedem, Romanamque Ecclesiam, utpote in Dei sponsione infallibili et Apostolorum ac Martyrum sanguine fundatam, omniumque ecclesiarum Matrem, omni honore cultuque prosequantur. Ipsa enim, ut cum B. Athanasio loquamur, est sacrum illud Caput, a quo in omnes ecclesias velut in totidem membra omnis spiritus diffunditur, quo nutricantur et conservantur. Sanctissimum quoque Patrem et Pontificem nostrum, quippe Ecclesiae universalis Caput visibile, Deique in terris Vicarium, Episcopum Episcoporum, et Patriarcham Patriarcharum honore afficient. Is enim successor est Petri, a quo omnis Episcopatus initium atque originem duxit, et super quem Christus Iesus Ecclesiam suam fundavit,* QUANDO ILLI CLAVES REGNI CAELORUM, ATQUE DONUM INFALLIBILITATIS IN CAUSIS FIDEI COMMISIT: *quam fidem non sine ingenti miraculo durare in eius successoribus* IMMOBILEM, ILLIBATAMQUE VIDEMUS: *unde ingens illa Romanorum Pontificum Decretis mandatisque amplectandis apud omnes fideles et orthodoxos observantia profecta est.* Et ex his discat A. G., undenam profecta sit persuasio Pontificiae inerrantiae, quae catholicos omnes semper et ubique occupavit.

Anno 1650 Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus in Litteris ad Innocentium X, haec scribit: *Scimus, ubi caput Ecclesiae, ibi* TOTIUS FIDEI ARCEM, *totius et disciplinae metropolim esse.*

Anno 1653 octoginta quinque Galliae Episcopi Litteris, quibus Iansenii propositiones damnari petebant, hoc initium faciunt:

Maiores causas ad Sedem Apostolicam referri solemnis Ecclesiae mos est, QUEM FIDES PETRI NUNQUAM DEFICIENS perpetuo retineri iure suo postulat.

Eodem anno 1653 Episcopi triginta Lutetiae, duce Card. Mazzarini congregati, in Litteris ad Innocentium X, post damnatas Iansenii propositiones haec scribunt: *Quemadmodum ad Episcoporum Africae relationem Innocentius I haeresim pelagianam damnavit olim; sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem haeresin ex adverso Pelagianae oppositam Innocentius X proscripsit. Enimvero vetustae illius aetatis Ecclesia, sola Cathedrae Petri communione et auctoritate fulta, Pelagianae haeresis damnationi absque cunctatione subscripsit. Perspectum enim habebat, non solum ex POLLICITATIONE CHRISTI PETRO FACTA, sed etiam ex Actis Priorum Pontificum... iudicia pro sanciendia regula fidei a Summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione, sive suam in actis Relationis sententiam ponant, sive omittant, DIVINA AEQUE AC SUMMA PER UNIVERSAM ECCLESIAM AUCTORITATE NITI, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium praestare tenentur. Et nos quoque sententia ac fide imbuti Romanae Ecclesiae, etc.* Haec autem fidei professio eo maioris momenti videri merito debet, quod tunc emissa fuerit, cum Galli tum ob ingratam electionem, cui obstiterant, illius Pontificis, tum ob dissidia notissima Cardinalis Mazzarini cum aula Romana, offensum haberent animum. At veritas indignationi praevaluit, et praeclarissimum testimonium etiam ab iratis expressit, ut scite Card. Sfondratus advertit.

At enim, inquiet A. G., nonne triginta quatuor Episcopi cum triginta et octo viris ecclesiasticis ann. 1682 Lutetiae in Comitiis congregati de mandato regio solemniter proclamarunt, *in fidei quaestionibus Summi Pontificis Decreta non esse per se irreformabilia?*

Resp. Utique notissimum id est, et notissimum pariter est regis edictum, quo (art. I) cavebatur, ne subditi sive saeculares sive Regulares, cuiuscunque Ordinis, Congregationis, aut Societatis, quidquam praedictae definitioni contrarium privatim vel

publice docerent; quin etiam ut nemo aut ad docendum aut ad gradus academicos admitteretur, nisi eam profiteretur doctrinam, quam insuper et magistri in Scholis, et Episcopi in sua quisque dioecesi tradere et docere deberent.

Et sic universo orbi miserandum oblatum est spectaculum (ab heterodoxis, laetitia ac risu debacchantibus, exceptum), quod ad nutum praepotentis regis *servum pecus* suam suorumque patrum, et tot iam Conciliis tum Gallicanis particularibus, tum Gallicanis oecumenicis firmatam fidem abnegaret. *Video* (inquiebat Sfondratus de universitatis parisiensis magistris) *omnes in Regis obsequium spectare, nulla Canonum, nulla ecclesiasticae libertatis cura, nec tam ex ratione, quam metu praemiisque pendere: et quid mirum, etiam scholas gratiae et favori cessisse, si templa cesserunt? Scribunt ergo calamo Doctores, quod Episcopi docent exemplo.*

Celeber Mainburgus e suggestu per quadragesimam haec publice an. 1671 concionando edixerat: *Obligamur sub poena aeternae damnationis nos submittere Definitionibus Cathedrae S. Petri, tuncque naufragium fidei patimur, cum doctrinas amplectimur ab hac Cathedra damnatas reiectasque.* Neque vero solum e suggestu ea proclamaverat, sed typis impressam concionem vulgaverat. Verumtamen vultus Regis tum peccati mortalis tum naufragii in fide timorem depellere ita potuit, ut pro regiis doctrinis contra pontificiam infallibilitatis praerogativam, a se ut fidei articulum assertam, scriberet, pugnaretque!

Sed enim quid mirum, quod an. 1682 Rex 34 Episcopos cum 38 Doctoribus obsquentes atque ad vultum eius trementes repererit? Nonne Constantius decuplo frequentiores habuit Arimini damnantes Athanasium? Nonne Eudoxia Episcopos in Synodo ad Quercum habuit damnantes Chrysostomum? Quis nesciat deinde Episcopos an. 449 congregatos Ephesi id facinoris ausos, unde appellatio Ephesini latrocinii? Et Heraclius nonne habuit Episcoporum Synodum Ecthesis impietatem approbantium? Nonne Copronymus et Armenus Leo Synodos Episcoporum contra SS. Imaginum cultum invenerunt? Nonne Synodi in Galliis Lotharii

matrimonium cum Valdrada concubina sanxerunt? Scilicet id contingat, prorsus oportet, quoties posthabita ac deserta *Petra, supra quam fundata est Ecclesia*, filiis extorribus iam illa revelatio est reliqua, non quam caelestis Pater Petro custodiendam commisit, sed quam caro et sanguis submittit.

Quo sensu infelix gallicorum Comitiorum declaratio excepta fuerit in Christi Ecclesia, discere licet ex Synodo Hungarica, quae hanc ob causam eodem anno 1682 ab Hungariae Primate, Strigoniensi Archiepiscopo coacta est. Extant enim Synodicae litterae *Universis et singulis Christi fidelibus in Hungariae regno constitutis* datae 24 Octobr. 1682 *a Georgio Szelepchény Eccl. Metropolit. Strigoniensis Archiepiscopo, atque Hungariae Primate;* in quibus de propositionibus *Declarationis* hoc fertur iudicium: *Quae quidem propositiones, auribus christianis* ABSURDAE AC PLANE DETESTABILES, *cum per Hungarici quoque Regni provincias a* SATANAE MINISTRIS *disseminatae sint eo fortasse consilio, ut perduellioni et caeteris malis intestinis pabulum et fomentum suppeditent, et in incautos fidelium animos blanda pietatis specie schismaticum virus instillent: Nos, omissa in praesens cura eas confutandi, cum perpetua sanctorum Patrum traditione, Oecumenicorum Conciliorum Decretis, et apertis divini verbi testimoniis satis explosae confutataeque sint, quamvis nonnulla Scripturae loca Auctores Propositionum in suam sententiam callida et falsa interpretatione detorqueant, neque desint insignes Theologi, qui has partes strenue exequantur: Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, qui in huiusmodi casibus unanimi Consilio et Spiritu noxias doctrinas et in fide periculosas proscripserunt,... Dei nomine invocato, et praehabito ea meliori forma, quae per temporis et loci difficultatem licuit, diligenti examine et deliberatione matura cum venerabilibus Fratribus Coepiscopis nostris, Abbatibus, Praepositis, Capitulis, aliisque compluribus Theologiae Professoribus et Sacrorum Canonum scientia praestantibus viris, praefatas quatuor propositiones configimus et proscribimus, et universis istius Re-*

gni Christi fidelibus interdicimus ac prohibemus, ne eas legere vel tenere, multo minus docere audeant.

Quid porro Synodus de iudiciis Apostolicae Sedis sentiret, sic deinde aperit: *Item una voce unanimi, omnium Ordinum consensu et approbatione, sincere profitemur et spondemus, Sanctae Romanae Ecclesiae, quae unica est,* ET SIBI PERPETUO CONSTANS ERRARE NON POTEST, *cum omnibus et ex omnibus Ordinibus et Statutis Regni perpetuo adhaesuros, et sine diminutione nunc quoque perstituros, neque ab eius Institutis, totius Orbis consensu approbatis, ubique florentibus et dilatatis, quovis praetextu discessuros, quin eamdem Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, eius que fidem, ex tot falsis opinionibus per rerum novarum cupidos disseminatis erutam, et a tempore S. Regis Stephani omniumque aliorum Divorum quondam Hungariae Regum constitutionibus stabilitam, pro viribus tuituros et defensuros.*

Et heic iuverit memorasse, hoc Concilii Hungarici edictum, anno 1863 a Synodo Colocensi, cui interfuere clarissimi Antistites *I. Kunszt, F. Szaniszló, L. Haynald, A. Bonnaz, I. Nehiba* solemniter his verbis approbatum fuisse: *Propositiones Cleri Gallicani an.* 1682 *editas, quas iam p. m. Georgius Szelepchényi Arch. Strig. una cum caeteris Hungariae Praesulibus eodem adhuc anno publice proscripsit, itidem reiicimus, proscribimus, atque cunctis Provinciae fidelibus interdicimus, ne eas legere vel tenere, multo minus docere audeant.*

Caeterum foetido huic vulneri per servilem quorundam assentationem illustri Gallicanae Ecclesiae inflicto remedium piissimus Deus haud diu distulit. Et decennio exacto, postquam et impotens Regis ira deferbuerat, et ecclesiasticae dignitates regia dogmata professis, ceu *characterem bestiae* habentibus, interclusae, gravissimam inferebant molestiam et intollerabile onus iis praesertim, qui servilis obedientiae praemium sibi interdictum cum fremitu lugebant, infaustissima Comitiorum anni 1682 acta solemniter rescissa sunt, pristinumque edictum, quod vetera facinora tum Constantii ac Valentis in causa ariana, tum Graeci Constantis in monothelitica, et recentiora Anglici Henrici VIII

in praescribenda Christiano populo fidei professione aemulabatur, simul revocatum est. Ita inconsultissima Comitiorum an. 1682 Declaratio, post decennalem aegerrimae vitae cursum, multiplici per Apostolicam Sedem reprobationis ac damnationis stigmate insignita in sepulchrum descendit. Quod si ianseniana factio, cui percommoda Declaratio fuerat, eidem, quasi adhuc viventi, aut eius saltem cineribus honores litare, cultumque quaquaversus conciliare destitit nunquam; unde factum est, ut ista lue quosdam etiam per Italiam inficeret; constat, quod hinc, per Dogmaticam Pii VI Constitutionem *Auctorem fidei*, reliquiae istiusmodi in ventos dispersae evanuerunt. Si qui vero sint adhuc, qui hasce cadaveris illius reliquias a Iansenianis sollicite custoditas, et apte, sicubi licuit, depositas, excitandas aut fovendas putent; si in magnum sui decus cedere existimant, quod paucissimi cum sint in ea causa tuenda, imperterrito tamen pectore adversus universum christianum orbem, qui eos despicit et contemnit, pugnaturi in aciem descendere non dubitent; si demum iuxta Gersonianas theorias rectam fidem in universo christiano populo autument ita posse deficere, ut integra in una dumtaxat vetula aut paucis idiotis simplicibus servari possit, atque adeo persuasum habeant, circa oeconomiam a Christo Domino ad fidei depositum servandum constitutam universas omnium saeculorum ecclesias, universosque (exceptis haereticis, et olim Scholae Gersonianae discipulis) Christifideles a veritate aberrasse, et apud se solos genuinam, errorisque expertem huius oeconomiae notionem remansisse superstitem; hanc sibi, totamque apud se, per nos licet, gloriam habeant: dummmodo tamen Gallicanae Ecclesiae nomine et auctoritate se suaque tueri nequaquam praesumant: dummodo (inquam) ignobilem, quam aucupantur gloriam, Gallicanae Ecclesiae, cuius spuriam se produnt sobolem, communem per calumniam facere nuspiam praesumant.

Gallicanae Ecclesiae sinceram fidem ex Synodo Senonensis Provinciae sumemus, quae an. 1850 de Romano Pontifice cap. 1, haec profitebatur: *Christus ut unitatem manifestaret, Ecclesiamque faceret* INCONCUSSAM, *fundamentum posuit Petrum, di-*

cens: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam; *et:* Tibi dabo claves regni Caelorum; *et:* Pasce agnos meos, pasce oves meas; *et:* Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. *Ideo Romanum Pontificem, Petri Successorem agnoscentes, Ecclesiam Romanam omnium Ecclesiarum Matrem ac Magistram profitemur, in qua fides Petri vivit et presidet nunquam defectura, ad quam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam.* Ubi patet, ideo Ecclesiam *inconcussam* dici, quia in Romana Ecclesia vivit et *numquam defectura praesidet Petri fides.*

Item Gallicanae Ecclesiae sensum discemus ex Synodo Prov. Albiensis, quae an. 1850 (tit. 2, Decr. 2, n. 3) ita decernit: *Quia non potest Domini Nostri Iesu Christi praetermitti sententia:* Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam; *in Sede Apostolica immaculata est semper servata Religio, et servabitur. Cum igitur Sancta Sedes sit in fide indefectibilis, ubi per decretum solemniter emissum Summus Pontifex proponit aliquid ut catholica fide credendum, ab omnibus huiusmodi decreto etiam internus debetur assensus.*

Rursus Gallicanae Ecclesiae sensum haurimus ex Synodo Prov. Bituricensi an. 1850. Quid enim de Rom. Pontifice profiteatur, sic (Sess. 2) exponit: *Primum quidem mentis oculos et cordis affectus convertimus ad sanctam illam Apostolicam Sedem Beatissimi Petri, quem divinitatis suae assertorem egregium Christus Dominus posuit Ecclesiae suae inexpugnabile fundamentum, cuius fidem numquam defecturam promisit, mandans ut confirmaret fratres suos, cui claves regni caelorum et plenam ligandi atque solvendi commisit potestatem, atque pascendos totius ovilis sui agnos et oves concredidit. Et quoniam tota a saeculis conclamat traditio, Petrum per Romanum Pontificem loqui, et semper in suis successoribus vivere et iudicium exercere, et ipsius Cathedram omnium ecclesiarum matrem esse et magistram,*

ideo plena fide . . . quaecumque credenda, quaecumque servanda decernit Summus Pontifex, haec credenda et servanda amplectimur etc.

Rursus Gallicanae Ecclesiae sensum eruemus ex Synodo Provinciae Lugdunensis an. 1850. In hac porro ita legimus (n. IX): *Ecclesia si civitatis imagine adumbratur, Petrus est fundamentum:* Tu es Petrus... *Si caeli ianua declaratur, Petrus est caelestis clavicularius:* Tibi tabo claves . . . *Si ovile appellatur, Petrus est supremus Pastor:* Pasce agnos... *Si demum, uti revera est, columna et firmamentum veritatis, Petrus est certum fidei munimen:* Ergo rogavi pro te. . . *Quoniam vero adversus Ecclesiam supra Petrum fundatam portae inferi non praevalebunt, immortalis Ecclesiae fundamentum perpetuo manere necesse est. Petrus igitur in Ecclesia Christi semper vivit; Petrus in singulis successoribus loquitur, ut in omnem terram exeat vox eius... Hanc supremi Pastoris vocem omnes sciunt oves ex ovili, quod est universa Ecclesia. Hanc ab Apostolicis temporibus audierunt cuncti tum orientalis, tum occidentalis plagae doctores. Huic omnia a Nicaeno ad Tridentinum acclamaverunt oecumenica Concilia.*

Rursus Gallicanae Ecclesiae sensum discemus ex Synodo Provinciae Auscitanae an. 1851. Quippe (tit. 1, cap. 1, n. V) haec habet: *Evangelicis institutis et Conciliorum definitionibus inhaerentes circa ecclesiasticae potestatis plenitudinem B. Petro et legitimis eius successoribus a Christo immediate collatam, Summorum Pontificum Constitutiones amplectimur tamquam veras credendi et agendi regulas, quae fideles omnes, vi propria, obligant, independenter a cuiuslibet potestatis sanctione et acceptatione.*

Rursus Gallicanae Ecclesiae sensum habemus ex Synodo Provinciae Tolosanae an. 1850, cuius est haec fidei professio (tit. 1, cap. I): *Scripturarum testimoniis edocti, et SS. Patrum traditionem sequentes, ac praecipue Florentini Concilii definitionem, Patres Concilii Provincialis Tolosani haec de summo Pontifice tenent et praedicant..... Haec igitur Apostolica, supremaque*

Sedes, omnium Ecclesiarum mater et magistra iure divino constituta, centrum est indefectibile catholicae unitatis, in quo, velut in arce inexpugnabili, Petrus per Romanum Pontificem loquitur, semper in suis Successoribus vivit, atque praesidet, et praestat quaerentibus fidei veritatem. Ad hanc ergo Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam non solum pro eiusdem fidei conformitate, sed... Quapropter declaramus et contestamur, Apostolicis Constitutionibus... ita inesse vim ac nativum robur, ut sint norma credendorum, agendorumque regula, qua vere et coram Deo omnes obstringuntur.

Et rursus Gallicanae Ecclesiae sensum nobis exhibet Synodus Provinciae Burdigalensis an. 1850. Sic enim (tit. IV, cap. XI) post allatam Conc. Florentini de Rom. Pontifice definitionem pergit: *Ad Romanam igitur Ecclesiam, tamquam ad unitatis centrum, in quo est integra et vera Christianae religionis soliditas, propter potiorem eius principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.... Omnia proinde decreta et leges, quae ab Apostolica Sede prodeunt, profitemur veram esse ac sinceram pro universali Ecclesia credendorum normam et conscientiarum regulam. Deus quippe, ut ait S. Augustinus, in Cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis. Unde eorum omnium temeritatem damnamus, qui Supremi summi Pontificis auctoritati refragantes, de sententiis eius ac iudiciis ad Ecclesiam appellare non metuunt, quasi a Capite suo Ecclesia divelli unquam possit, et alibi esse, quam ubi Petrus.*

Et haec ad cognoscendum veram Gallicanae Ecclesiae fidem de infallibilitate Pontificia sufficiant. Illud unum praestat non omittere, Burdigalensem Synodum explicite de Constitutione Pii VI haec habere (l. c.): *Errores ergo quoscumque, quovis tempore et modo a S. Sede damnatos, damnamus; signanterque ea omnia, quae in Bulla Auctorem Fidei S. P. Pii VI improbat, reprobat, et damnat, pro improbatis, reprobatis, et damnatis habenda profitemur.* Neque aliter in Synodo Provinciae Lugdunensis (n. VIII in fin.): *Dogmaticam Constitutionem Pii*

Papae VI, quae incipit, Auctorem Fdei, toto corde amplectimur, et tamquam veram et irreformabilem credendi normam veneramur. Quippe cum in hac Pii VI Constitutione Declaratio Cleri Gallicani an. 1682 reprobetur ac damnetur et irrita declaretur, et uti temeraria, scandalosa et iniuriosa Sedi Apostolicae damnetur eiusdem adoptio; eo ipso et Synodi Burdigalensis Lugdunensisque Provinciae hanc Declarationem damnant reprobant, etc.

ARTICULUS III.

Quibus in iudicando rationibus utendum sit, et quomodo rationes sint librandae.

Duo hic complectimur, scilicet 1.° genus argumentorum, quae ad iudicandum debent adhiberi; 2.° modum, illorum vim ac pondus librandi.

Quoad 1.^m A. G. exigit vel *apertos SS. Scripturarum textus, vel antiquam et certo constantem Ecclesiae catholicam traditionem.* Excludit vero quatuor: 1.° discursum theologicum plus minusve probabiliter concludentem;

2.° Nonnullorum Patrum veterumve scriptorum testimonium;

3.° Piam animi propensionem et obsequium erga Rom. Pontificem.

4.° Communem theologorum cuiuspiam aetatis consensum.

Expediri autem haec omnia brevissime possunt. Ac primo quidem quoad apertos, quos A. G. exigit, SS. Literarum textus, vel Ecclesiae traditionem, duo pronum est reponere. Nam 1.° falso asseritur ista necessitas. Ratio est, quia praeter veritates diserte et expresse revelatas, quamplurimae occurrunt veritates cum illis necessario connexae, quae idcirco implicite quidem, sed reipsa dicendae sunt revelatae. Has autem per definitivum iudicium ceu fidei dogmata Ecclesia et alias proposuit, ac porro potest proponere. Si nova Anonymo G. ista nunc accidunt, adeat tractatum de Locis Theologicis.

Caeterum 2.° quisquis omnigena monumenta ecclesiastica inspexerit, in quibus infallibilis iudicii praerogativa romano Pontifici asseritur, fere eam doctrinam aut ipsismet SS. Litterarum verbis expressam, aut ex his elicitam ac firmatam comperiet. Id autem iuxta *theologicos canones* etiam dogmaticum eorumdem textuum biblicorum sensum ita determinat, ut nefas sit aut sensum illum respuere, aut hoc excluso textus in alium sensum distorquere. Quocirca in hisce, quae innumera sunt, monumentis tum SS. Scripturarum auctoritatem certam ac manifestissimam, tum luculentissimum Ecclesiasticae traditionis testimonium habemus.

Quoad ea vero argumenta, quae A. G. excludit, concedimus, ad dogma asserendum imparem esse ratiocinationem probabiliter inferentem. At iis verbis A. aut calumniam velat, aut inscitiam suam prodit. Catholici omnes fide tenemus, romanum Pontificem iure divino esse *Caput Ecclesiae et centrum unitatis fidei;* Ecclesiamque romanam matrem *et magistram omnium Ecclesiarum esse.* Nisi ex his certissima conclusione infallibilitas magisterii inferretur, numquam sane ad hoc negandum haeretici priora illa impugnassent.

Secundum ac tertium, quae A. G. excludit, meram ipsius calumniam tegunt; quasi vero praerogativa haec Pontificia mere *ex nonnullorum Patrum verbis plus minusve clare* deduceretur, aut praepostera in S. Pontificem pietas iudicium catholicorum pervertat. Horum primum ostendit A. G. in sacris disciplinis prorsus peregrinum; quoad alterum vero, si exemplum revera quaerit hominum, quos praeposterae affectiones ad iudicii perversionem ac fidei proditionem impulerint, historiam Declarationis an. 1682 recolat, et habebit quod plenissime ipsi satisfaciat.

Quoad ultimum denique, calumniam cum inscitia A. G. coniungit. Calumniatur quidem, cum sententiam de Pontificia infallibilitate cuiuspiam tantum aetatis theologis adscribit: inscite vero de vi consensus theologorum loquitur. Itaque demat prius haereticas scholas, demat deinde anomalas et transeuntes Sorbonae, ducibus Gersone, Almaino etc., aberrationes; demat denique, si quae reliquiae post damnatas et (liceat cum allegata Synodo Hun-

garica ita loqui) *detestabiles* propositiones comitiorum an. 1682, hac illac studio et opere praesertim iansenianae factionis apparuerunt; numquid non omnium temporum, omniumque catholicarum nationum theologi eam praerogativam propugnarunt? Et quando universi omnium aetatum theologi ex SS. Litteris, ex Ecclesiae traditione doctrinam quampiam ut certam tradunt ac propugnant, numquid non iuxta theologicos canones ea doctrina tamquam pro certe revelata retinenda est? Sed iam plus semel apparuit, A. G. tum doctrinae, in scholis catholicis traditae, tum theologicorum canonum prorsus rudem esse.

Ad leges nunc transeamus, iuxta quas argumentorum rationem habendam A. G. contendit. In quibus illud maxime inculcat, *oportere necessario attentissime legisse et mature perpendisse argumenta eorum, qui negant, aut rem pro dubia et non definibili habent.*

Ad quae breviter duo reponi possunt ac debent.

I. Velit, nolit A. G., pseudo-gallicanae scholae panoplia tota quanta est, informi illo opere, cui titulus *Declarationis Cleri Gallicani etc. Defensio Luxemburgi* 1730, continetur. Porro si ex hac panoplia quoad praesentem quaestionem illud in primis demas, quod ex haereticorum libris fuit expilatum, atque adeo a catholicis doctoribus adversus haereticos pugnantibus explosum iam fuerat; si deinde illud demas, quod iterum ex damnatis Richerii, Vigorii, etc. libris desumptum fuerat, et a Duvallio Sorbonico doctore aliisque confutatum egregie fuit; denique si ea demas, quae itidem falsa et erronea catholici Doctores vel in Iustini Febronii vel in Iansenistarum subinde assurgentium et caput attollentium libris refutaverunt, quid quaeso ex tota illa panoplia non explosum, quid non refutatum superest? Et postquam mercium istarum haereticarum falsitas, postquam naeniarum harum insulsitas centies ostensa manifesto est, enimvero egregio consilio A. G. imponit Episcopis eas attentissime legeret, ac mature perpenderet!

II. Quisquis paululum in doctrinae catholicae controversiis versatus sit, is probe novit, duo in qualibet controversia sedulo et

accurate esse distinguenda, scilicet 1.° certitudinem ac firmitatem doctrinae, quae legitimis e fontibus rite eliciatur; 2.° firmitatem responsi, quo obiecta adversus certam doctrinam difficultas diluatur. Haud raro enim controversiae tibi occurrunt, in quibus cum thesim habeas firmissimis et inconcussis fundamentis nixam, nodus tamen ad solvendum difficilis tibi obviam fiat ob aliquod vel verum vel verisimile, quod cum praestituta certa veritate componi vix aut ne vix quidem posse videatur. Quibus quidem in adiunctis alia via incedere solent catholici, alia heterodoxi. Hi difficili hoc nodo abutuntur, et ansam ex eo sumunt veritatem e legitimis fontibus certam abiiciendi; illi contra cum veritatem certo tenendam non dimittant, rationes, quibus nodus solvatur, indagare sollicite student: quo in opere tamen ob rei variis de causis obscuritatem diversa a diversis, plus minusve probabilia, et interdum etiam improbabilia proponi videas.

Ita v. gr. ad obiectas ex Augustino sententias adversus catholicam de Christi gratia ac libero arbitrio doctrinam, cum S. Doctoris auctoritatem abiicere non ferat animus, diversa diversi probabiliter respondent. Idem dicito de dura quapiam ex S. Cyrilli Anathematismis sententia, ubi catholicum dogma contra Eutychianos defenditur. Idem de Acaciano schismate, ubi necessitas communionis cum Sede Apostolica asseritur. Idem de Francofordiensi Synodo, ubi oecumenicorum Conciliorum auctoritatem tuemur.

Et quidem quid contingere in hisce adiunctis possit, praesertim cum nodus ex historia oritur, exemplum solemne habes in postrema, quam innui, quaestione. Ecce enim tibi Bossuetus (sive verus sive fictus) qui (Defens. Declarat. Part. 2, Lib. 12, Cap. 31) quamdam veluti turrem contra Romanam Cathedram erigit, contenditque hinc evinci, Gallos impune non a Romani Pontificis modo sed vel a Septimae Synodi (quam pro oecumenica non haberent) sententia recessisse. Plures, ut rem componant, ad vitiatam Actorum Nicenae Synodi interpretationem confugiunt, qua in errorem Francofordiensis frequentissima Synodus abducta fuerit. Quae quidem responsio reipsa vim difficultatis contra sy-

nodi a Pontifice confirmatae auctoritatem tantum non intactam relinquit. Quid igitur? abiiciemus cum heterodoxis Synodum septimam? Admittemus quaecumque stolide et perfidiose Bossuetus inde congerit? Atqui (quod mirum est, illud eruditionis in sua Germania monstrum, Ignatius Doellinger ignorasse) eruditorum studia viam ostenderunt, qua incommoda vitentur. Et sane si negabis, ullum extare monumentum, quod certe, immo quod probabiliter evincat, in Francofordiensi Synodo decretum esse aliquid, quod doctrinae sive Hadriani Pontificis, sive Nicaenae Synodi utcumque opponatur; si solidis rationibus, quod facile est, ostenderis, ad Synodum Francofordiensem haudquaquam pertinere canonem de cultu SS. Imaginum; ecce tibi illud habebis, quod ratio coniectandum prorsus suadebat, difficultates praesertim ex historia petitas saepissime vim aliquam ideo praeseferre, quod monumentorum defectus veram difficultatis solutionem nobis omnino abscondit.

Propositum canonem in rem nostram transferamus. Si SS. Scripturarum testimonia tum in se spectes, tum iuxta interpretationem, quam et Veteres Patres, et Concilia, et SS. Doctorum consensus, et Scholae catholicae nunquam non exhibuerunt et tenuerunt; rursus si Ecclesiae traditionem tum in Scriptis Patrum, tum in Actis Conciliorum requiras; demum si catholicae Ecclesiae doctrinam tum in Scholarum catholicarum sententiis, tum in christianae plebis unanimi sensu scruteris, omnia unanimiter conclamant, omnium christianorum Patrem ac magistrum, Christi vices gerentem, Romanum Pontificem, infallibilem in suo magisterio esse. Haec porro cum certissima teneamus, aliquot vero ex historia quaestiones occurrant, quae quo pacto cum certissima doctrina apte cohaereant, obscurum videatur; num idcirco incertus iste omnia componendi modus efficiet, ut quae certa sunt abiiciantur? Ita concluserint haeretici, quibus ea doctrina maxime invisa est; ita concluserint, si qui inter Ecclesiae catholicae filios theologicorum canonum notionem et usum non norunt, aut qui criterio logico non admodum abundent: non item

qui criterii vi polleant, et qui de theologicis controversiis recte iudicare norint.

Sunt qui perpetuo Honorii historiam in medium, tamquam equum Troianum, pertrahunt: et sibi videntur triumphum canere, quando cum auctore *Defens. Decl. Cler. Gallic.* ex multiplici ac diversa ratione ad istum nodum solvendum adhibita, inscite concludunt, ideo varia excogitata responsa, quia nullum vere firmum suppetit.

Nego, inquam, quam inscite deducunt, consequentiam. Plura haec responsa hoc evincunt, obiectionem, quae ex hac historia petitur, infirmam ita undequaque esse, ut undequaque oppugnari queat, et collabatur. Incriminatio adversum Honorium nedum doctrinae haereticae (quam, ut scite Ioannes Garnerius, vir sane eruditissimus Dissert. 2, ad Lib. Diurn. pag. 323. Edit. Paris. an. 1680, *pauci numero iique vel SUSPECTE ALIUNDE FIDEI, vel NON MAXIMAE AUCTORITATIS* intentare ausi sunt), sed incriminatio quoque praetermissi in fide tuenda officii, ut rite concludat, plurium praemissarum praerequirit certitudinem; porro diversae defendendi Honorium viae nonne hoc demum assequuntur, ut vix et ne vix quidem ulla praemissa adversantium firma consistat? Parum autem refert, quod alius aliam responsionem aptiorem censuerit: non enim altera alterius robur elidit.

Quisquis aequum de hac historia iudicium ferre velit, et, quid certi ex ipsa elici possit, nosse cupiat, non aliquam illius particulam, ut quidam imperitissime etiamnum assolent, sed totam quaquaversus introspiciat oportet.

Quae certo constant, ea ut certa habeat et praestituat; tum vero si quae cum hisce certis minus cohaereant; utique ad coniecturas plus minusve verisimiles iuxta sanae criticae regulas recurrat; at sedulo caveat, ne affectus erga praeconceptum iudicium illum eo adducat, ut quae certa ex monumentis constant, ea demum abiiciat. Haec norma aequissima si retineatur, utique plura obscura in hac historia manebunt: quorum scilicet ratio facile reddi queat; haec tamen nullatenus impedient, quominus opposi-

tio quaelibet inter doctrinam, quam in deposito fidei certam reperimus, et hanc historiae ecclesiasticae partem penitus evanescat.

Porro si quis historiam rimetur, illud in primis certo deprehendet, nihil gessisse Honorium, scripsisse nihil, quo a munere fidem rectam docendi ac tuendi defuerit. Monumenta, et quidem maxime factis coaeva quae hoc suadent et evincunt, eius sunt roboris, ut neque infringi neque infirmari, atque adeo posthaberi nullo modo possint. Ergo nisi quis communi hominum sensui, nisi quis primis criticae artis elementis nuncium mittere velit, hoc statuat, necesse est: Honorius nihil peccavit.

At enim, inquies, nonne alia monumenta, quibus sua sane non deest auctoritas, damnatum Honorium nobis produnt, atque adeo aliquid eum peccasse suadent? Respondeo: utique series quaedam quadraginta post annos factorum seu monumentorum incipit, quae in aliam, ac priora illa coaeva, sententiam de Honorio adducere quempiam possint.

At vero sua sibi hic iura sanctissima prorsus postulat ars critica, duplicemque ab eo, qui recta velit incedere, quaestionem solvendam exigit.

Prima est: iudicandumne de Honorio est ex monumentis seu factis quadraginta annorum spatio posterioribus, an ex omnino coaevis? Praesertim vero quod in se nihil repugnet, damnari ab hominibus posse eum, qui alias innoxius reipsa deprehenditur?

Secunda est: quomodo extricandi nodi, quos in se praeferunt posteriora monumenta, quippe quae et ad explicandum in se difficillima sint, et insuper ne inter se quidem cohaereant?

Manifestissimum porro est duarum istarum quaestionum ex accurato examine hanc demum unice prodire conclusionem posse, ex tota hac historia nihil solidi elici posse, quod reum Honorium pronunciandum suadeat, atque adeo nullam hinc difficultatem solidam adversus pontificiae infallibilitatis praerogativam posse oriri. Utique sua arti criticae superest sparta maxime laboriosa, ut scilicet aptiorem, quae excogitari verisimiliter queat, rationem et factorum et monumentorum reddat. At eiusmodi quaestiones, uti patet, ab dogmatica controversia prorsus alienae sunt.

Dixi, posteriora monumenta et in se difficillima explicatu esse, et inter se minus cohaerere. Equidem quaestionem istam heic pertractare nec tempus nec locus sinunt. At saltem licet scitari. 1.° Estne, qui adhuc solide diluerit dubia gravissima, quae mota fuerunt tum de monumentis, quae ansam damnandi Honorium dederunt, tum de plena Actorum Synodalium fide?

2.° Quae damnationis causa extitit? Si fidem incuses Honorii, nonne quispiam dicet, te Synodi Patres inducere calumniantes? Si damnationis causam quaeras ex Leonis II litteris, ut in primis Anastasius Bibliothecarius tibi suggerit (Mansi, Concil. Coll. tom. X, col. 694), Synodi sententiam contra Honorium ab Romana Ecclesia nunquam eo modo quo lata fuit, admissam fuisse deprehendes, eamque (ut idem innuit) eodem loco habitam fuisse, ac Canones illos Conciliorum Constantinopolitani I, et Calcedonensis, quos Sedes Apostolica reiecit. Deinde vero quomodo reus Honorius probati per litteras silentii, idque Constantinopolitanis adeo ignotum extitit, ut harum litterarum praesidium, quod ad defensionem Ectheseos et Typi opportunissimum fuisset, adhibuerint nunquam?

Haec utique, aliaque eiusmodi industriae artis criticae permitti possunt et debent: et quaestionum harum solutio utilis historicis studiis ita evadet, ut sartam tectam eam partem, quae certam in Ecclesia doctrinam attingit, penitus relinquat.

QUAESTIO III.

Quaerit A. G. *quomodo tandem se gerere debeat Episcopus, postquam accuratum quaestionis examen perfecerit.*

Et respondet, *tres praecipuos exitus huius examinis dari posse: vel dubium, vel probabilitatem, vel certitudinem.* Ita pro sua scientia et criterio A. G.

Nobis tertium tantummodo exitum iuxta praemissa sequi posse pro certo habemus.

Quoad consilia vero, quae in hac hypotesi A. G. praebet pro sua sapientia, quam caro unice et sanguis ipsi indidit, satis nobis sit lectorem ad egregium remittere opusculum cui titulus: *Episcoporum Conscientia in tuto posita*: Quippe ibi aptissime, quo loco haec A. G. consilia habenda sint, ostenditur.

INDEX

IMPRIMATUR

Fr. Marianus Spada Ord. Praed. Sac. Pal. Ap. Magister.

IMPRIMATUR

Ioseph Angelini Archiep. Corinth. Vicesgerens.